SPECIMEN ANNOTATIONUM

IN

ODYSSEÆ RHAPSODIAM A.

QUAS, UT PROGRAMMATI
SCHOLASTICO ANNI CIƆIƆCCCXXXII ACCEDERENT,

CONSCRIPSIT

G. SCHNEEMANN
GYMNASII TREVIRENSIS COLLEGA.

AUGUSTÆ TREVIRORUM
LITTERIS BLATTAVIANIS.

Praemonenda.

Qui in scholis veterum scriptorum libros cum discipulis legunt eosdemque coram iis enarrant, moris apud eos esse solet, ut sibi vel exemplo, quo utuntur, adscribant, vel alibi annotent, si quid, quod explicatu prae ceteris est dignum, observaverint idemque aut prorsus neglectum, aut obiter solummodo tractatum, aut minus recte illustratum et expeditum ab interpretibus animadverterint. Estque hic sane quam utilis mos. Habebis enim, ne quodvis inde proveniens commodum hic enumerem, habebis, unde veluti e penu, ubi usus venerit, promere possis. Neque igitur mirum, a me quoque multiplicem propter utilitatem talia multa congesta esse litterisque consignata. Itaque, ut susceptum examini in aula Gymnasii nostri habendo praeludendi munus absolverem, quum, quodnam potissimum argumentum eligerem, diu multumque mecum reputassem, tandem schedas pervolutare atque excutere in animum induxi. Quibus omnibus perquisitis, constiti, quum in eas, quæ ad Homerica spectabant carmina, incidissem, quum compluribus aliis de causis, tum imprimis, ut ductu et auspicio eius, qui priores in poetis tenet sedes, cuiusque carmina maxima cum animi voluptate diligentius pertractaveram, interpretationis tirocinium ponerem et ab eo felicissimum exordium sumerem. Praeterea etiam animadverteram, ex Homericis præcipue Odysseæ hanc immeritam æque et incredibilem obtigisse sortem, ut nostræ ætatis homines in hoc carmine emendando et annotationibus illustrando omnium exspectatione minorem operam ponerent. Namque ex iis, quos novissimis temporibus Homerus pro dignitate nactus est interpretes, unum Nitzschium hic nominandum esse haud facile quisquam negaverit, Nitzschium dico, qui admodum acute, docte et copiose disserendo haud paucis locis novum lumen attulit. Qua in re vir doctus ita est versatus, ut non solum singula vocabula interpretaretur, universam locorum vim exponeret, eorumque nexum ostenderet, sed etiam summa cum cura, id quod ad hoc usque tempus maximam partem neglectum iacebat, heroici temporis mores, instituta, deorum hominumque cultum examinaret et explicaret. Quantopere ab hoc viro distant, quicunque circa idem temporis curæ aliquid Odysseæ impertierunt. Sic nil opis, quæso, exspectes ab ea editione, quam Lœwius nuperrime in scholarum usum curavit. Nam, quidquid fere habet, ex aliorum commentariis sumsit indidemque temere sæpius et negligenter conflavit. Quo etiam fit, ut pueri, quos pro suo consilio præ ceteris respicere debebat, nunc in difficiliore loco frustra

ad illum recurrant, nunc ad libros, qui aut maioris pretii aut rariores sunt, reiiciantur, nunc denique ea ex Scholiastarum ineptiis et Bernhardi Thierschii aliorumque coniecturis eruta et adscripta inveniant, quæ nihil ad interpretationem, ad chartas solummodo implendas valeant. Quod in magna exemplorum copia satis sit uno, ex prima pagina depromto, demonstrasse, ubi illud πολύχροτος repetitur, quo de vocabulo, iam ab Eustathio virgula censoria notato, prudens lector non potest, quin Wolfii iudicio (Præf. ad Il. p. 64) calculum adiiciat, qui ita dicit: quodsi forte aliquis scripsit πολύχροτον, aut lusit homo, aut coniecturam attulit vero absimilem. Ad Besseldtii in tres priores Odysseæ libros annotationes et Zauperi editionem quod attinet, licet per se haud sint spernendæ, tamen eas præceptori interpretanti interpretationis maximam partem præripere, nihil discipulo relinquere, cur ipse grammaticos libros adeat, quæque sententia verbis insit, anquirat atque ita eundem ad perniciosam segnitiem desidiamque perducere, fatendum est. De Baumgarten-Crusii editione aliis, quum equidem librum nondum neque legere neque inspicere potuerim, iudicium relinquo. Quantum ex Ephemeridibus litterariis cognovi, præter potiora ex Eustathio ceterisque Scholiis pauca continet alia et quamquam, optima quæque a viro docto electa esse, non est, quod dubites, tamen pro Homero ipso eiusque intellectu parvum commodum inde ortum esse, facile videbis.

Quae quum ita sint, neminem repugnaturum speremus, si dixerimus, admodum multa futuro Odysseæ editori, huic provinciæ bene administrandæ omnino pari et idoneo, reliqua esse, quæ observet atque illustret. Utinam Wolfius promissis suis stetisset et praeclaræ suæ eruditionis thesauros, quibus comparandis omnem fere vitam impenderat, reclusisset [1]. Utinam Spohnium non tam præmatura mors exstinxisset, haud ita multo post, quam Koësii, iuvenis de Homero optime meriti, nescius idem sibimet iam prope imminere fatum, supremas laudes celebraverat. Utinam fidem publice datam Thierschius et Gr. Nitzschius [2]) exsolvant, viri præ ceteris idonei, qui huic rei ex omni parte satisfaciant.

Hæc autem hactenus. Pluribus enim etiam fortasse verbis, quam necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, quæ a me profecta quæque instituta sunt, cognosce. Iam primum certe quis mirabitur, cur in primum Odysseæ librum, ubi plurima, ne dicam omnia, tam diligenter et accurate a Nitzschio exposita sunt, ut nihil supra addi posse videatur, operam stu-

---

[1]) Tandem velim Körte, cuius in manus ingeniosissimi viri reliquiae venisse dicuntur, grandem illum lectionum et criticarum notationum apparatum (Prolegg. p. 17.) in lucem proferat adiiciatque animadversiones eius Homericas aut adversariorum saltem optima quaeque, quorum procul dubio plurima supersunt.

[2]) Desiderium, quod modo manifestavi, Nitzschium, Spitznerio in huius provinciae consortium sibi adscito, propediem expleturum esse, nunc ipsum, dum haec scribo, praeter exspectationem ex catalogo, ut vocatur, Lipsiensi intelligo.

diumque contulerim. Cuius vero rei causa perspicua tibi erit, in mentem si revocaveris harum animadversionum originem ex iis, quæ scholæ usui collecta erant, esse petendam. Quapropter fieri non potuit, quin multa irreperent, quorum alia uberius, alia contractius disputata sint, plura etiam, quæ aut supervacanea videantur, quum ab aliis iam præoccupata sint, aut exiliora, quum scholam, cui prius erant aptata, nimis etiamnunc redoleant; quamquam nihil omnino, quum ea, quæ ab initio ad proprium usum paraveram, in publicum proponere apud me constituissem, antiquius habui, quam ut, deletis, quæ minus placebant, reliqua omnia ita retractarem et pro viribus exornarem, ut aliquo modo digna essent, quæ publici iuris fierent. Quibus rebus haud præpropere perfectis, tamen non diffiteor me sæpius pæne adductum fuisse, ut iterum ea absconderem et intelligentium virorum iudicio subtraherem, quippe qui probe intelligerem me post Nitzschii eruditionem et ingenium inanem operam suscepisse. Præterquam autem quod tempus urgebat neque, alia ut protraherem atque pertractarem, sinebat, revocatus etiam sum ab hac sententia, quod, quum admodum multa in huius viri libro præclara cognovissem eaque libenter amplexus essem, tamen in aliis, ut sunt diversa hominum ingenia, me discrepare videbam, porro quod nonnullos deprehendebam locos, quibus, quum illustratione indigere viderentur, vel ipse lucis aliquid afferre tentabam, denique quod pro cognitionis modulo, qui sane per est exiguus, scriptorem, quem in deliciis habeo, iuvare volebam. Quam quidem rem ita administravi, ut nullo tempore immemor essem me nequaquam perpetuam in Odysseam explicationem conscribere, sed accessionem quantulamcunque ad illius viri annotationes afferre, studiosisque Homeri hæc esse destinata, qui et illas legent, aut potius iam dudum legerunt, et iure moleste ferrent, si cognita ibique reperta iterum dedissem. Quodsi vel sic satis multa, quæ displiceant, inveneris, tamen, si tibi conferre vacabit, diligentiæ meæ testimonium ubique facile præbebis idque eo magis, quod in penuria bibliothecæ nostræ, ceteroquin ditissimæ et instructissimæ, maioribus subsidiis prorsus destitutus ea solummodo dare potui, quæ in iterata Homeri lectione, pauculis horis subsecivis, quas scholasticis muneribus, quibus pæne obrutus eram, quoque modo subtrahere poteram, intentissimo studio ipsemet conquisiveram. Quod mihi gratuler, abunde habebo, si opera hac in re collocata viris doctis aliqua saltem ex parte comprobata fuerit, si dignum me iudicaverint, a quo hoc munusculum, animo ac voluntate eius, qui libens dedit, quam re, maius ampliusque benigne accipiant.



V. 1. Quod caput, quod totius poematis primarium est argumentum, id in utriusque carminis primo versu primum est positum, ἀνήρ et μῆνις. Requiritur enim, ut Aristoteles Rhet. III, 14 præcepit, ne incertus et animi suspensus auditor teneatur, in epici carminis initio indicium eius rei, quam tractaturus est poeta. Qua re nemo unus hodie reperietur, qui non fatuam rideat illam a Grammaticis, quos iam Wolfius eam ob causam reprehendit, tractatam quæstionem, cur poeta splendidissimo operi fœdum et infaustum nomen μήνιδος præfixerit; cuiusmodi quæstiunculæ causa ea in re ponenda videtur, quod Græci Grammatici in vocabulis et syllabis hærentes veram vim argumenti Homerici cognitam non habuerint.

ἔννεπε ab $\overline{\text{επω}}$ interpositione litteræ ν productum esse demonstrare conatus est Buttmann Lex. I. pg. 287, cuius sententiæ præsidium minus recte capit ex formis ἄλαλκον, ὀρέγω. Melius Eustathius ad h. l. ἀπὸ τῆς ἐν προθέσεως καὶ τοῦ ἔπω compositum esse contendit, quocum faciunt Spohn in libro egregio: De extrema Od. parte pg. 24 s. v. ἐπέπω, Brunck ad Oedip. Tyr. v. 330 et Thiersch Gr. §. 232, 52, qui vero in eo errat, quod alterum ν ab omissa digammo Aeolica deducit. Liquidas enim, necessitate metri ita postulante, quam sæpissime geminari demonstrat ipse Gr. §. 174, 5, quamquam antiquiorem scripturam iudicant Ernesti ad Il. XV, 31 et Ruhnken ad H. in Cer. 339, si littera pronunciando tantum duplicetur. Buttmannum l. l. dicentem: Ist hier die Präposition ἐν, so kennen wir zwar die Verlängerungen εἰν, ἐνί, εἰνί, die für alle Fälle hinreichen, wir kennen εἰνάλιος, εἰνόδιος, aber ἔννεπε steht allein refutant præter ἐννοσίγαιος, ab Eustathio iam ex Il. XIII, 159 prolatum, etiam ἐνναίρειν pro ἐναίρειν Batr. 266; ἐννεσία ex ἐν et ἵημι Il. V, 894; H. in Cer. 30; Ap. Rhod. I, 7 et alias. Alterum illud argumentum, quod ad sententiam suam confirmandam attulit, digamma sic in hoc tantum verbo neglectum esse, quum e contrario reliquis, cum verbo εἰπεῖν compositis, constanter additum esset, hoc parvi, ne dicam nullius momenti esse ostendunt Hermann ad H. in Ven. v. 86, Thiersch Gr. §. 158, 12, denique ipse in Gr. mai. I, §. 6, Not. 6. Docet porro magna exemplorum copia, quam Spitzner (De versu heroico pg. 124) congessit, præcipue in vocabulis εἶπον, ἔπος digamma illud modo adiectum modo omissum fuisse nihilque Heynium egisse, quum acerrimus digammatis defensor innumeros locos repugnantes aut temeraria mutatione tentaret, aut summa cum audacia ut spurios obelo notaret. Nihilo magis deinde satisfaciunt, quæ pg. 288 Buttmannus adiecit, his utens verbis: Durch welchen Zwang will man die Präposition ἐν in dem Verbale von ἐνέπω, ἐνοπή erklären? Vir doctus concedit pg. 280 et 287 ἐνέπω ab Homero strictiore potius sensu indicandi et narrandi usurpatum fuisse, sic quoque ἐνοπή significatum a verbo trahens (de quo vide infra) primum est adhortatio, ut Il. XII, 35; XVI, 246; paulatim autem, præpositionis vi oblitterata, retinuit eam solummodo potestatem, qua est sonus, vox, e. gr. Il. X, 13; Od. X, 147; Ap. Rhod. I. 27. At ut revertar a substantivo ad verbum. Esto igitur hoc nobis datum, de quo etiam cognatum ἔνισπω dubitari non sinit, compositum esse hoc verbum. Hinc necessarie sequitur primitivam eius significationem esse dicere,

enarrare aliorum in medio, ut Od. VIII, 251, pro quo alias εἰπεῖν ἐν, μετά habes, ut XVI, 378; XXI, 151. Il. X, 445; XXII, 476; XXIII, 781, 786. Ex ea iam derivandas esse reliquas facile patet, et ita, ut proinde sit alloqui Hes. op. 177, 244, tum indicare XVII, 549, 556, 561; Apol. Rhod. IV, 1, 2; H. in Merc. 433, deinde ut, quum præpositionis vis omnino perierit, in ipsam potestatem simplicis relapsa sit, significans loqui, dicere, quemadmodum Od. XXIII, 301; Il. XI, 643 ἐνέποντες πρὸς ἀλλήλους, et sæpissime in Hymnis et apud Apollonium Rhodium. Ita et hunc locum optime interpretaberis: De viro h. e. quod ad virum, dic mihi Musa.

πολύτροπος. Solertiam, prudentiam et astutiam præ ceteris Ulyssi tribui, ideoque πολύμητιν, πολυμήχανον, πολύφρονα, ποικιλομήτην, ἀγχίνοον, ἐχέφρονα, Διΐ μῆτιν ἀτάλαντον (Il. II, 636), δόλων ἆτον, κακοῖσι δόλοισι κεκασμένον, κερδαλεόφρονα, παντοίους δόλους εἰδότα ab Homero vocari, propterea quod μάλα πολλὸν ἐνίκα παντοίοισι δόλοισι, περίοιδε νοῆσαι (Il. X, 247), πέρι μὲν νόον ἐστὶ βροτῶν et, ut ipse de se (Od. IX, 19) prædicat, πᾶσι δόλοισιν ἀνθρώποισι μέλει, nemo est, qui nesciat; porro extra omnem dubitationem positum est τρέπεσθαι crebro ad animum referri; quæ causæ fuerunt, cur πολύτροπον quoque ita acciperent, et interpretum plurimi, et Liv. Andronicus apud Aul. Gell. XVIII, 9, cuius non valde laudabile (Cic. Brut. 18, 71) carmen, quod Ὀδύσσεια erat inscriptum, incepit: Virum mihi, Camœna, insece, versutum. Omnibus autem diligenter perpensis, fieri non potuit, quin cum W. Müller (Verm. Schr. Bd. IV.) et Nitzschio (ad h. l. et Quæst. Hom. I, p. 1 - 15) facerem atque vocem sensu proprio de multum iactato versatoque acciperem. Præter ea, quæ viri docti attulerunt argumenta, his quoque sum commotus, primum, quod ita Odysseæ magis cum Iliadis procemio concordat, ubi, uti hic, participium οὐλομένην sequens enuntiatio, ἣ μυρί' Ἀχαιοῖς κ. τ. λ., explicat; deinde, quod alia adiectiva eiusdem originis, ἀπότροπος (XIV, 372) et ὑπότροπος (XX, 332; XXIII, 35) nusquam a primaria vi recedere animadverti.

V. 2. πλάζομαι et ἀλάομαι, unde ἠλάσκω et ἠλασκάζω, ut eiusdem significationis vulgo accipiuntur. Eo autem, quantum equidem loquendi usum cognovi, inter se differunt, quod hoc generalem vagandi notionem exprimit, prius vero pro derivatione ab activo πλάζειν (v. 75) de iis, qui vi quadam coacti, inviti igitur circumerrant, adhibetur. Conferantur Od. V. 389; VI, 278; XIII, 204; XV, 311; XXIV, 307 cum Od. II, 370; III, 72, 73, 302, 313; XV, 10; Il. X, 141. Sciens omisi Il. X, 91; XIV, 120; Od. II, 133; VI, 206; XIII, 133; XVI, 64; XX, 340, cum nihil argumenti habeant. At non ubique hoc discrimen ab Homero probe servari docent Od. III, 106; XV, 491; XVI, 151. Proprie quoque ἀλᾶσθαι de iis est in usu, qui aut piraticam exercentes toto mari vagantur (III, 72, 73), aut mendicandi causa hic illic vagi omnium fores adeunt (XVII, 114; XVIII, 401), qua ex re etiam sæpe numero ἀλήτης et ἀλήμων Homero i. e. q. πτωχός. —

Τροίης πτολίεθρον. Quemadmodum urbs Troia, Troiæ, Troianorum Latine, ita etiam πόλις Τροίη (Il. I, 129), Τροίης, sive Ἰλίου (Il. V, 642), Τρώων (Il. II, 12), denique ex rege, πόλις Πριάμοιο (Il. XVIII, 288,) Græce dicitur. Quarum locutionum eadem plane vis est et significatio, quamquam Τρώων πόλις etiam regionis Troianæ urbs, ut Il. I, 164, esse potest. Ita hic quoque Τροίης, urbis, minime vero regionis nomen esse e locis a Nitzschio allatis videre est. Recte iam Eustathius περίφρασις δέ ἐστι τὸ Τροίης πτολίεθρον ἀντὶ τοῦ Τροία. Confer Ruhnkenium ad Hes. Asp. V. 26 in Ep. Crit. I.

ἔπερσεν. Non ausim cum Nitzschio Eustathii et Scholiastæ sententiam reiicere, qui autumant in primis Ulyssi hoc in versu Troiæ eversionem ascribi. Nam præterquam, quod Homerus, ut Cicero ad Divers. X, 13 ait, illum, quippe qui bellum confecerit, non Aiacem nec Achillem *πτολίπορθον* (urbicapum) appellat, transfert etiam idem ubique in unum Ulyssem omnem huius rei gloriam. Confer IV, 72 sqq.; VIII, 502 et 517; XXII, 230. Quibus locis etiam procul omni dubio Criticorum princeps, Aristarchus nimirum, inductus erat, ut versus prope omnes, qui nunc *Ἀχιλλῆα πτολίπορθον* habent, obelo notaret. Vide Wolfii Prolegg. 258.

V. 4. Non ex omni parte placeant, quæ de vi et usu pronominis *ὅγε* Passowius s. v. attulit; melius Bernhardy Synt. pg. 275: Es zeigt die Identität einer Person für eine zweifache Handlung an, ut Latinorum idem. *δ' ὅγε* igitur Latine reddam idemque et Germanice, non, ut Nitzschius, und so, sed und auch, vel, quod melius, doch auch; v. Zumpt Gr. §. 697.

V. 5. *ἀρνύμενος* Passowius parum recte, ut nobis quidem videtur, reddit: sein Leben davon tragend. Verum iam vidit W. Müller l. l., huius loci sensum ita explicans: *ἀρνύμενος* hier zu erringen, erwerben suchen in Verbindung mit *ψυχή* ist es ein Erhalten, Bewahren des schon Vorhandenen, mit *νόστος* läuft es auf ein Erlangen des noch zu Erringenden hinaus. Horaz (I, 2, 21) ließ die erste Verbindung fallen. Quæ interpretatio, cum ab ipsa loci natura commendationem veri habeat, accipit auctoritatem ex Il. I, 159; V, 553; VI, 446; XXII, 160 et ex simillima sententia XXIII, 253. — Præterea nescio, quid commoverit viros doctos, ut præter unum Wolfium (Litter. Anal. III, 164), derivantes *ἄρνυμαι* ab *αἴρω*, coniurarent contra Eustathium, cui, haud absurde ad rationem veterrimæ mercaturae, ubi merces vicissim permutabantur, respicienti, etymon habere videtur ab *ἀρνός*, adiiciens; *καὶ ἐστὶ κυρίως μὲν ἄρνυσθαι, τὸ, ἄρνα διδόντα ὡς ἐν καταλλαγῇ, ἀντιλαμβάνειν τι ἕτερον χρήσιμον, καταχρηστικῶς δὲ, καὶ τὸ ἁπλῶς ἀντικαταλλάσσεσθαι . . . . οὕτω καὶ ἀπὸ τῶν πώλων, εἴρηται τὸ πωλεῖν. ἀρέσκει δέ τισι καὶ ἀπὸ τῶν ὄνων τὸ ὠνεῖσθαι παράγεσθαι.* Verbum igitur *ἄρνυμαι* ex angustiore primaria sua vi, ut multa alia, sensim exiens deinde latiorem potestatem, de qua supra commemoratum est, accepit.

τε — καί propria significatione non differunt ab *οὐ μόνον — ἀλλὰ καί*, non solum — sed etiam, h. e. his particulis eiusmodi membra legitime coniunguntur, quorum posterius maioris est gravitatis, quam prius. Qui usus est frequentissimus, quamquam non est infitiandum easdem particulas et apud Homerum, et apud alios scriptores passim pro *τε — τε* sive *καί — καί* h. e. et — et reperiri.

V. 6. *ἑτάρους* pro *τούς*. Ita saepius, ubi pronomen sufficeret, cum vi quadam substantivum ponitur, confer 51; Herod. I, 61 *κατὰ τὴν ὁμολογίην τὴν πρὸς Μεγακλέα γενομένην, γαμέει τοῦ Μεγακλέος τὴν θυγατέρα* et eundem III, 64 in fine.

πέρ. Loco *καίπερ* participiis, adiectivis et adverbiis vel *πέρ*, vel *καί* (Od. II, 343; Il. IX, 655) cum significatione quamvis, licet adiicitur. Exempla huius usus diligenter colligerunt Vigerus pg. 441 et 525, Hermannus ad eundem pg. 837. Monere autem hic iuvat saepius *πέρ*, ubi iisdem vocibus est iunctum, propria et prima sua significatione esse admodum, valde, cuius usus exempla habes 315; Od. XII, 340; H. in Ven. 139, praecipue vero Il. I, 131, 352, 587, ubi *πέρ* minime ad participium, sed ad praecedentia *ἀγαθός*,

μινυνθάδιον, φίλην pertinet. Inde nata est illa, a Passowio omissa, potestas, quae est Latinorum vel sive etiam XIX, 541 et 581 *ἔν περ ὀνείρῳ*.

V. 7. Alias Homerus reciproca significatione vel simplici pronomine personali, ut 34, IV, 741; Il. I, 205; II, 588; III, 333; IV, 162, 219, 302, 306; V, 165, 321, 328; VIII, 446, vel solo *αὐτός*, ut Il. II, 466; XI, 699; Od. IV, 247, 710; X, 416; XXI, 249; nunquam compositis *ἐμαυτοῦ* &c. utitur. Confer Scholion ad Il. XIV, 162, ubi Zenodotus acriter notatur, quod *ἓ αὐτήν* pro uno vocabulo habuerit. Ubi pronomina coniunguntur vulgo praecedit pron. pers. ut Il. III, 301; V, 64; VI, 446; VIII, 529; IX, 521; X, 204, 307; XII, 43, 86, 155; XIV, 162; XV, 39; XVIII, 358; rarius *αὐτός*, ut hoc loco porro IV, 244; XVII, 81, 494, 595; XXII, 345; XXIV, 249; Il. V, 884; IX, 680. Plura dabit Hermannus in Opuscul. I, 321, cuius egregiam annotationem in meos usus converti.

V. 10. Locus difficilior et ab interpretibus varie vexatus. Singulorum verborum vim prius pensitemus.

ἀμόθεν i. q. *ποθέν* est *ἀπό τινος μέρους*, alicunde, ulla ex parte, quemadmodum *οὐδαμόθεν*, nulla ex parte. Haud male ex VIII, 500 contuleris *ἔνθεν ἑλών*, quocum, minime vero, quod Vossius fecit, cum nostro loco, comparanda est dictio in Georg. I, 5, hinc canere incipiam. — In vocabulo *τῶν* offendit Nitzschius, qui pluralem hic pro singulari *τοῦ* accipit. Nam proprie hic numerus lectorem ad ea, quae in proxime antecedentibus singulatim sunt enumerata, nimirum ad Ulyssis errorem (2-3), casus et labores (4), ad sociorum insanum facinus eorumque interitum (5-9) reiicit; *τῶν* igitur est, ut 339, *τούτων τῶν ἁπάντων*. Haud aliter Eustathius: *τῇ Μούσῃ ἀνατίθησι τὸ ἄρξασθαι ὅθεν ἂν αὐτὴ ἐκ τῶν πολλῶν βούλοιτο*. — Eustathius et Scholiastes ad Theocr. IV, 54 recte quidem iungunt *καί* cum *εἰπέ*, graviter vero in eo errant, quod adiectionem huius vocabuli supervacaneam arbitrantur, quum potius ita imperativo sit additum, ut Latinorum quaeso exprimat. Exempla collegit Vigerus pg. 524. —

Totum igitur locum verbis poetae fideliter inhaerens ita enarraverim: Horum (omnium) ulla saltem ex parte, dea, Jovis filia, dic, quaeso, nobis h. e. mihi et (per me) iis, qui me circumstant. Aliam enim eandemque, si quid iudico, ad totius loci sensum aptiorem interpretationem vocis *ἡμῖν* sequutus sum, quam ea est, quam interpretum plurimi dederunt. Quum igitur omnia omni ex parte apte cadant, quod cum Nitzschio hunc versum ut spurium eiicias, non habebis, praesertim quum minime probabiles attulerit rationes, ad quas singulatim respondebo. Das einzig Dastehende *ἀμόθεν* (*ἅπαξ λεγόμενα*, quum numero apud Homerum et in utroque carmine et in singulis libris sint plurima, nequaquam iure meritoque obelum manibus tuis tradent); die wiederholte Aufforderung der Muse (poeta commode et efficaciter, quod ad meum iudicium, in prooemii fine Musarum invocationem, unde orsus est, repetit, id quod facilius persuadeam nostrum locum cum Il. II, 484 et 491 comparanti.); das vieldeutige *καὶ ἡμῖν* (magnam locorum copiam, quos alii aliter explicent, tibi enumerem). Hoc quoque mirandum Nitzschium in vocabulis *καὶ ἡμῖν* explicandis a semet ipso discrepare, primum enim cum Passowio facit: narra nobis quoque sc. ut aliis iam narrasti, paulo post Scholiastae, quam prius ipse damnavit, amplectitur sententiam, supplens *ὡς σὺ οἶδας*.

V. 11. Poeta, ubi *προέκθεσιν* absolvit, lectores, vel potius auditores, quibus in universum se de errante et aerumnoso Ulysse cantaturum paucis annuntiavit, statim in medias res,

abrupte in narrationem cadens, quasi etiam his omnia, quemadmodum sibi, cui Musa indicavit, sint cognita, secum abstrahit, iisque virum, cuius vel nomen afferre prioribus in versibus supersedet, tum producit, quum is vicesimo anno, postquam abiit (II, 175, XVII, 327), decimo post captam Troiam (Od. V, 107), triennio, quo iuventus, culinae, quam Penelopae, studiosior, in eius domum irrupit (II, 89; XIII, 377), tandem in eo est, ut ex deorum voluntate finem et requiem aerumnarum post tot casus post tot discrimina rerum, Minervae potissimum auxilio, in patria et suorum complexu inveniat. Perlegat mihi nunc aliquis maxima cum animi attentione et quae praecedunt, et quae sequuntur; animum advertat ad hunc versum maximeque ad particulam ἔνϑα et pro se quisque velim experiatur, num initium reperiri possit, quod et consilio vatis, cuius ore Musa ipsa, quasi eius precibus annuerit, loqui videtur, et totius ἐποποιΐας tenori et arti magis consentaneum sit, quam hoc subitum et abruptum exordium. Quis igitur non impense demiretur Nitzschium, versu superiore deleto, verba ἔνϑ' ἄλλοι κ. τ. λ. cum versu nono coniungi maluisse, quae coniunctio probabilitatis speciem haberet, si in utroque versu de iisdem sermo esset; tum enim, si prioribus commodissime consequentia iungerentur, quodam modo excusari posset Nitzschius, susspectum habere versum, qui et nihil omnino habeat in se, cur illum, ut supra demonstravimus, vituperare possis, et codicum auctoritate omniumque veterum interpretum consensu firmatus sit et munitus. Tantum igitur abest, ut versum expungam, ut potius contendam, pace viri illustris dixerim, narrationem ex mediis rebus repetitam requirere omnino, nisi omnem orationis vim debili illa diversissimorum locorum copulatione plane interire velis, abruptum illud minimeque praecedentibus cohaerens attextumque initium.

V. 14. δῖα ϑεάων. Neminem pœnitebit de huiusmodi genitivi usu perlegere, quae egregie Bernhardy in l. l. p. 155 protulit, apud quem inter alia haec reperies: Ohne partitive Andeutung geht der Genitiv auf eine poetische Titulatur über, deren Inhalt von keiner tiefern Bedeutsamkeit ist. Differt igitur loquendi forma tantum, non sensu a δῖα ϑέα Il. X, 290. Aliter Passowius s. v., haud scio an perperam. Quae sit vis, qui usus adiectivi δῖος, quomodo discrepet ab ἱερός et ϑεῖος, hoc Nitzschius ad III, 265, 278 et ad II, 135 demonstravit, quamquam fatendum est illud discrimen non ubique ab Homero observari, sed promiscue illa epitheta tribui, quidquid in suo genere magnum, bonum, praeclarum, pulcrum aut admiratione dignum est. Quomodo reddenda et aestimanda sint eiusmodi adiectiva, apud Homerum tam frequenter obvia, id, quod rectum est, iam annotaverunt Bürger Verm. Schriften T. I, pg. 203 sq. et Wolfius Litterar. Anal. pg. 153 ad v. 48.

V. 16. ἐνιαυτόν alii, inter quos Eustathius, de quovis diuturno tempore, alii probabilius secundum derivationem ab ἐνὶ αὐτῷ, quam Passowius sine idoneis causis improbat, de anno, qui, ut Virgilii verbis utar, in se sua per vestigia volvitur, accipiunt. Utcunque res se habet, hoc tamen tenendum est, rarius sine adiecto quodam positum inveniri, sed iunctum ei esse praeter περιπλόμενος etiam περιτελλόμενος (Il. II, 551; VIII, 404, 418), περιτροπέων (Il. II, 295), ἐπιπλόμενος (Od. VII, 261; Hes. Theog. 593), τελεσφόρος (Od. X, 467); de quibus voculis egit Heindorf ad Horatii Sat. I, 1, 36. — Ceterum quamquam maximum quodque temporis spatium Homerus, plane ut nos, annorum numero definit, id quod demonstrant Od. II, 89, 107; 175, III, 305, 391; VII, 269; X, 466; XIII, 377; XVII, 327; Il. II, 134; VIII, 404, 418; XXIII, 833; tamen, quantum temporis anno tribuen-

dum sit, nostris coniecturis et computationibus constitui nequit. Omnibus enim locis inter se collatis et pensitatis, liquet tantum illius aetatis annum, in universum ad annuas vicissitudines ab hominibus, qui in primis Astrologiæ rudimentis hærebant, constitutum, vix vixque decem menses, quos hodie novimus, complexum esse. Qua de re nunc quidem paene certus sum sententiae, praesertim Od. XI, 248; Hes. Th. 58, 184; Hymn. in Ap. 350 comparatis cum Hymn. in Merc. 11.

V. 18. Nitzschius, neque Passowium, quem laudat, neque locos, quos ipse adscripsit, diligenter inspexisse videtur; hoc enim si fecisset, vidisset *πεφυγμένος* non solum Il. XXII, 219, sed, ubicunque in Homero legitur, cum *εἶναι* sive *γενέσθαι* coniungi et ita activum *πεφευγέναι* circumscribere. Ad genitivum quod attinet, negari nequit participia quaedam et apud Latinos et apud Graecos nominis vim accipere ideoque secundo casu gaudere, sic *εἰδώς οἰωνῶν, τόκοιο, τόξων. διδασκόμενος πολέμοιο* (Il. XVII, 811). Confer, qui luculenter rem illustrant, Eustathium ad 203, Hermannum ad Vig. pg. 177 et, qui plura coegit, Bernhardyum Gr. pg. 140. Quae interpretandi ratio etiam nostro loco nequaquam displicet, quamquam fateor me huc inclinare, ut, quum viderim activum *φεύγειν* genitivum non respuere, sententiam Buttmanni ad Sophocl. Philoct. 1033, cui motum e loco designare videtur, praeferri velim. Diversa est Thierschii in Gr. §. 255, 4 sententia, qui structuram ita expedit, ut *πεφυγμένος* cum l i b e r a n d i potestate hic positum esse putet. Eligat sibi quisque, quod sequatur.

V. 19. Alii dii v. 17, alii hoc loco intelliguntur. Illi enim sunt dii f a t a l e s, penes quos de Ulyssis reditu est arbitrium; hi sunt s u p e r i, qui, misericordia commoti, virum, quantum illis ex priorum decreto licet, adiuvant.

V. 15—19. In hoc loco explicando et interpungendo viri eruditi duas inierunt vias. Alii, in quibus Wolfius, Besseldtius, Passowius s. v. *ὅτε*, Nro 9, Thierschius §. 316, 16, 9, *ἔνθα* de tempore cum Scholiasta accipientes, mediam interpunctionem post *Ἰθάκην*, maximam post *φίλοισι* ponunt. Altera explicatio ea est, quam Schæfer ad Porsonis Eurip. pg. 566, suffragante Nitzschio, proposuit, qui, *ἔνθα* ad locum referens, in verbis *οὐδ' ἔνθα* . . . . *φίλοισι* intermediam sententiam vidit, et alteram enunciationis partem inde a verbis *Θεοὶ δ'* incipit. In hac interpretatione nihil, in priore aliquid esse, quod reprehendi possit, ostendam. Qui enim accuratius locum consideraverit, facile intelliget *ἔνθα*, ad tempus relatum, idem tantummodo temporis momentum, ac praecedens *ὅτε δή*, cui ut demonstrativum respondet, significare posse, id scilicet temporis, ubi Ulysses solus, sociis omnibus amissis, apud Calypsonem degebat. Quae cum ita se habeant, quinam illi *φίλοι* sint, quos equidem in Ulyssis solitudine reperire nequeam, velim mihi indicetur. Hac igitur difficultate maxime commotus, a Wolfio desciscens eius adversariis me adiungo et, distinctione mutata, totum locum ad hunc sensum revoco: U b i v e r o i a m a n n u s v e n i t, q u o p l a c u i t f a t o, u t d o m u m r e d i r e t i n I t h a c a m (n e i b i q u i d e m v e l i n t e r a m i c o s s u b t e r f u g e r a t l a b o r e s), t u m m i s e r a b a n t u r d i i o m n e s. De particula *δέ*, in tali sententiarum nexu ab Homero saepe usurpata, disserentes vide Wolfium ad Il. I, 58; Thierschium Gr. §. 316, 15 et 16; Matthiaeum ad Hymn. in Cer. v. 39, Hermannum ad Vig. pg. 785 et ad Hymn. in Ven. pg. 107, qui vero nimis longe progreditur, dum ad Hymn. in Ap. 335 contendit, hunc usum ad anacoluthi genus esse referendum. Post coniunctas particulas *ἀλλ' ὅτε δή* in

apodosi *δὲ* invenies IV, 519, VII, 47, IX, 181; Hes. Theog. 58; Il. XVI, 76 ; IV, 210-213. Atque horum locorum is, quem postremum posui, maximi hic est momenti, quum etiam ibi hoc factum videamus, ut ea pars enunciationis, quae priori parti respondet, ab hac interiectis sententiis seiuncta sit. Hinc etiam lux accenditur loco difficillimo, Il. IX, 553-576. Ibi enim post *ἀλλ' ὅτε δὴ – χόλος*, sententiarum serie plurimis versibus interpositis abrupta, oratio sic procedit, ut v. 573 tandem alterum membrum sequatur.

V. 22. De Aethiopibus nimius forem, si omnes virorum doctorum disputationes, opiniones et coniecturas hic proponere propositasque certis argumentis aut refellere aut munire vellem. Itaque Buttmannianam sententiam, quum in ea, si quid iudico, acquiesci possit, summatim hic apponere uncisque inclusa, quibus confirmari possit, ex propriis adversariis addere satis habebo. Sic enim vir praestantissimus in Mythologo I, pg. 97: Aethiopien bezeichnet beim Homer und Herodot, wie das Hebräische כוש (*Αἰθίοπες γάρ, ὧν ἦρξεν, ἔτι καὶ νῦν ἀπὸ ἑαυτῶν τε καὶ τῶν ἐν τῇ Ἀσίᾳ πάντων Χουσαῖοι καλοῦνται.* Ioseph. Ant. I, 6 §. 6.), das äußerste Südland in weitester Ausdehnung nach Westen und Osten (*Αἰθιοπία γὰρ καλεῖται τὰ μεσημβρινὰ πάντα τὰ πρὸς τὸν Ὠκεανὸν* [Il. I, 423; XXIII, 205; Apollon. Rhod. III, 1192] *ἀπὸ ἀνατολῶν παρήκοντα μέχρι δυσμῶν.* Eustath. ad h. l., quocum conferas Nitzschium. *Ἀποκλινομένης δὲ μεσαμβρίης παρήκει πρὸς δύνοντα ἥλιον ἡ Αἰθιοπίη χώρη, ἐσχάτη τῶν οἰκεομένων.* Herod. III, 114. Oceani finem iuxta solemque cadentem ultimus Aethiopum locus est. Aen. IV, 480); die Gegend, die nach dem Begriffe der Alten dicht an die ganz in Feuer stehende Erdzone (*ἡ διακεκαυμένη ζώνη*) grenzt, selbst von der Sonne gebrannt wird und daher schwarze Einwohner hat (*οἱ Αἰθίοπες λέγονται, διὰ τὸ ἐπικεκαῦσθαι τὴν ὄψιν ὑπὸ τοῦ Ἡλίου. ὅς φασι κατὰ κάθετον* [aequinoctialem circulum intellige] *ὢν ἐν Αἰθιοπίᾳ, ἐπικαίει πλέον.* Eust., unde etiam eorum nomen *ἀπὸ τοῦ αἴθω* et *ὤψ*. A Vulcani filia, Aethiope, Aethiopiam nomen accepisse profert Plinius H. Nat. VI, 30. *κυανέους* vocat illos Hesiodus Op. 525 et ex eius imitatione Callimachus H. in Cer. 11 eosdem *μέλανας*, quo de loco vide Ruhnkenium in Ep. crit. II.). Sie unterscheiden morgenländische oder asiatische Aethiopen von den abendländischen (*Αἰθίοπες ἀνατολικοὶ καὶ δυσμικοί* Schol. *οἱ μὲν ἀπ' ἡλίου, οἱ δὲ ἐκ τῆς Λιβύης.* Her. VII, 70. *οἱ Αἰθίοπες δίχα διῄρηνται.* Sic Eustathius, quod vero addit *φυσικῶς τῷ Ἀραβίῳ ἤτοι Ἐρυθρῷ κόλπῳ*, id Homero et Graecis usque ad tempora Alexandri M. ignotum fuisse demonstrant Grotefend in Geogr. Ephemer. T. 48, p. 3, pg. 281 et Voss ad Virg. G. II, 114. Eandem divisionem agnoscunt Hebraei, ut Gesenius te in Lexico s. v. כוש docebit). Das morgenländische Aethiopien waren die Indier, denn dieses Land kannte man unter seinem eigentlichen Namen noch nicht, später, als man es genauer kennen lernte, nannte man nur noch die schwarze Rasse Aethiopen. In Homerum et Herodotum tantummodo cadere, quae hucusque annotata sunt, supra iam dictum est; recentiores enim poetae hic inde Aethiopiam latiore sensu vocabant, quaecunque regio Aethiopiam propriam, Arabiam et Indiam adiacet — In descriptione harum epularum sacrarum, quibus dii etiam Il. I, 423 et XXIII, 205 delectantur, praeter exspectatum brevis est Homerus, quare de iis nihil certius dici potest. Locum vero, ut videtur, haec divina convivia fecerunt commento de mensa illa Soli consecrata et epulis omnis generis divinitus innascentibus repleta, cuius apud Aethiopas meminit Pompon. Mela III, 10. — In diversa porro abeunt interpretes, ubi itineris huius causam inquirunt. Mihi veri simillimum videtur, etsi de his rebus timide est coniiciendum, ab Homero deos interdum

in Aethiopiam h. e. in extremam terram ablegatos esse, quorum praesentia impedimento fuisset et iustum rerum ordinem perturbasset. Diis vero Aethiopes prae ceteris longinquis populis propter innocentiam et iustitiam acceptos et caros fuisse ex adiecto ἀμύμονες temere concluditur. Mecum consentiunt Köppen ad Il. I, 425 et Zoega apud Voelcker l. l. pg. 90 sq.

V. 23. ἔστι δὲ τὸ μὲν διχθὰ καθὰ καὶ ἐν Ἰλιάδι (III, 63; Od. IX, 71) τὸ τριχθὰ καὶ τετραχθὰ Δωρικόν. Δωριέων γάρ, ἡ τοῦ θῆτα ἐν τούτοις ἐπένθεσις. . . . οὕτω δὲ καὶ ἐν τῷ μαλακὸς μαλθακὸς (Il. XVII, 588) καὶ χαμαλὴ χθαμαλή. Ita recte, si quid video, Eustathius, quamquam de postremo vocabulo aliter iudicat Buttmannus in Gr. ampl. I, pg. 81, N. 3; compara quoque χές et χθές, ἐσλός et ἐσθλός, ἄχος et ἄχθος, denique Thierschium Gr. §. 173, 3. Originem igitur suam habet ab δίχα (XV, 412), pro quo etiam ἄνδιχα dicitur Il. XXII, 120 et διάνδιχα Il. I, 280. — Schoenemann in commentatione de Geogr. Homer. pg. 130, ubi obiter mentionem de Aethiopibus fecit, versus 23 et 24, praeeunte, ut affirmat, Heynio, Rhapsodi alicuius pannum assutum vocat ob causas minime probabiles, quibus in refutandis lectoris patientia abuterer.

V. 25. ἀντιόων, ut adesset et particeps fieret. V. III, 436. Saepe enim participium temporis praesentis ponitur, ubi temporum ratio futurum postulat. Quam loquendi rationem exemplis illustraverunt Mathiae Gr. §. 556, 7 et Zeune ad Vig. pg. 344.

V. 26. τέρπετο. Ne mihi in varia huius verbi constructione cum dativo et genitivo differentiam illam, quam Nitzschius fecit, a poeta servatam putes. Quodsi exempla apud Passowium s. v. annotata perlustraveris, Homero utramque constructionem promiscue habitam esse invenies. Quod ad hunc locum pertinet, equidem videor mihi posse contendere, dativum δαιτί cum τέρπετο coniungi magis esse ex Homerici sermonis proprietate. Nemo enim nescit, quum omnibus Graecis scriptoribus, tum praecipue Homero usitatum esse satis multa participia sententiae ita inserere aut adiicere, ut nullum casum additum habeant. Hoc modo sexcenties cum aliis multis obvia tibi erunt: 1) φέρων, ut ἔγχος μὲν ῥ'ἔστησε φέρων (127); χέρνιβα ἐπέχευε φέρουσα. 2) ἄγων, ut αὐτὴν δ'ἐς θρόνον εἷσεν ἄγων (130); v. Il. XXIII, 654, 662, 698. 3) ἀείρας, ut πίνακας παρέθηκεν ἀείρας. 4) ἀπαμειβόμενος, ut τὴν δ'ἀπαμειβόμενος προσέφη (Il. I, 560). 5) φωνήσας, ut καί μιν φωνήσας ἔπεα προσηύδα. 6) λαβών, ut ποιμὴν φέρεν πόκον λαβὼν (Il. XII, 451). 7) ἔχων, ut οὓς (ἵππους) αὔτος ἔχων ἀτίταλλεν (Il. XXIV, 280). 8) ῥέζων, ut χαρίζετο ἱερὰ ῥέζων (v. 16). 9) ἑλών, ut Ὀδυσῆος (γέρας) ἄξω ἑλών. χειρὶ δ'ἑλὼν ἐπίεζε βραχίονα. (Il. XVI, 610), cf. eiusdem libri v. 559 et Od. VIII, 436. 10) ἰδών, ut ὅς τοτε γηθήσειεν ἰδὼν πόνον. (Il. XIII, 344). In quibus locis accusativus ad verbum primarium pertinens apud participium intelligitur. Posuit hastam, illam ferens. Lances apposuit, postquam eas sustulit. Eodem modo nostrum locum ibi ille quidem convivio delectabatur, ei assidens reddere debes, reddendique sunt loci simillimi, I, 339 τῶν ἕν γέ σφιν ἄειδε παρήμενος. IV, 738 Λαέρτῃ τάδε πάντα παρεζόμενος καταλέξῃ. XIX, 589 εἴ κ'ἐθέλοις μοι, ξεῖνε, παρήμενος ἐν μεγάροισιν τέρπειν. Confer XX, 334. Sine addito casu παρῆσθαι positum XI, 578, XIII, 411, XIV, 375. Ad eandem constructionem referendus est vexatissimus ille versus ἴσκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοῖα (XIX, 203). De quo non dubitandum puto, quin commate, quod Wolfius, nisi fallor, primus post λέγων posuit, deleto, ita explicandus sit: Enarrans, reddidit multa mendacia veri consimilia. Neque igitur est, cur cum Buttmanno (Lexil. II,

86) ἴσκε mutes in ἴσπε. Conferri meretur IV, 247. — Praetera hoc quoque tenendum est, παρήμενον propria significatione usurpatum esse. Ubique enim tum deos, tum homines mensis assidentes Homerus ex illius aetatis more facit; quare Athenaeus I, 4 καθέζονται, inquit, δ' ἐν τοῖς συνδείπνοις οἱ ἥρωες, οὐ κατακέκλινται. Quem morem etiam apud Latinos vetustissimum fuisse colligi potest ex Aen. VII, 176: soliti patres considere mensis, ubi Servius: maiores nostri sedentes epulabantur. Quod autem idem adiicit hunc morem eos habuisse, teste Varrone, a Laconibus et Cretensibus, hac in re Varro errare videtur, ut saltem coniicere debemus ex Athenaeo lib. XII, Suida s. v. Φιλίτια et Cicerone (pro Muraena c. 35), quos locos Meursii diligentia in Miscellaneis Laconicis I, 10 congessit, ex quibus patet, accumbentes convivari solitos fuisse Spartanos. Virgilius, ut saepius sic etiam hac in re neutiquam sibi constans alias, Aen. I, 79, sui temporis consuetudinem, quo accubitus erat receptus, induxit. Confer Wielandium ad Hor. Sat. I, 4, Not. 11. — οἱ δὲ δὴ ἄλλοι. Vocabulum ἄλλοι ad exponendum, quinam illi sint, qui sub pronomine οἱ latent, a poeta ita adiicitur, ut modo illi, ceteri, quemadmodum hic, modo illi, alii vertendum sit. Cuius rei causa ex ipsius vocabuli primaria potestate est deducenda. Si enim dico ἄλλοι, tum nihil aliud facio, quam ut quosdam eiusdem generis depromam, in suspenso autem relinquo, utrum omnes reliqui, an eorum multi, an pauci tantum intelligantur. Ut igitur primam significationem a ceteris discernerent, serioris aetatis scriptores adiecerunt, plane ut nos, articulum, οἱ ἄλλοι, die andern. Unde sequitur, cum Homero articulus ea certe potestate, quam postea accepit, ignotus fuerit, apud illum ἄλλους et addito et omisso articulo esse nunc alios, nunc ceteros, aut reliquos. Hoc vero, quod dixi, non solum coniectura nititur, sed ipsius Homeri auctoritate. In oculis sunt aliquammulti, quos mihi exsignavi locos, ex quibus conferas Il. VI, 41; XI, 524; XV, 67 cum Od. I, 128, 210; XIV, 200; Il. XXIII. 737; XXIV, 83, ubi et οἱ ἄλλοι et ἄλλοι aperte sunt alii, et Od. I, 157; Il. XIV, 368; XV, 134; XVII, 280; XXII, 380; XXIII, 241; XXIV, 456, 497 cum Od. I, 132; VIII, 352; XIX, 247; Il. I, 498; II, 1; X, 1; XVII, 335; XX, 184; XXI, 606; XXII, 54, 181, 237, 366; XXIII, 236; XXIV, 98, quibus omnibus in locis procul omni dubitatione ἄλλοι et οἱ ἄλλοι eam habent significationem, ut Latinorum ceteri aut reliqui exprimant. Zenodotus virorum omnium, qui umquam illustrando et corrigendo Homero incubuerunt, facile audacissimus, hanc sermonis Homerici proprietatem non intelligens, temerarie ex sui temporis consuetudine ἄλλοι, ubicunque haec vox est ceteri, in ὦλλοι, quam formam, ut notum est, Homerus plane est aspernatus, mutandum esse censuit. Vide Wolfii Prolegg. 207.

V. 28. τοῖσι δέ. Interpretes de hac formula magnopere ambigunt nihilque, quod probari possit, protulerunt. Fugit enim illos τοῖσι non ubique ad eandem originem referri debere, sed descendere modo ab οἵδε, modo ab τάδε, unde quoque duplex prodit significatio. Altera est ea, ubi aut inter illos est, ut II, 157; X, 224; Il. III, 96, 275, 303; VII, 136, 354; XXIV, 103: aut illis, ut Il. I, 58; II, 453, 565, 568, 652, 680, 733; IV, 270. Compara singularem τῷ δέ Il. V, 283; VIII, 440, 443 atque feminina τῇ δέ, Il. V, 346 et τῇσι δέ, Il. IV, 721; VIII, 433; XXIV, 723, 761; Hymn. in Cer. 438. Altera potestas ab hac valde differt. Namque, significans ἔπειτα, τότε, deinde, tum, orationi continuandae inservit. Respicias ad V, 202; VII, 47, 185; XIII, 374; XVII, 184; XIX, 103,

508; XXIII, 146; Il. V, 420. Cui rei haud parvum praesidium erit in singulari τῷ, ubi, veluti 239, XVII, 244, sic usurpatur, ut verti debeat tum. Nonnulla, quae huc pertinent, annotavit Wolf ad Il. I, 58. Auctoritate Scholiastae nisus in nostro versu eam significationem, quam primo loco posui, probabiliter insuper verbis ἀθανάτοισι μετηύδα (v. 31) defensam, retineo.

V. 29. ἀμύμων i. q. ἀμώμητος (Il. XII, 109), ἄμωμος, μῶμον καὶ ψόγον οὐκ ἔχων, non reprehendendus. Est enim Homero ἀμύμων, quicunque animi corporisve una pluribusve dotibus inter alios excellit, cuicunque est τὸ εὐγενές, τὸ εὐειδές, τὸ συνετόν, καὶ εἴ τί που ἄλλο. Idipsum, quod diximus, confirmari potest ex Il. VI, 155 sq.

αὐτὰρ Γλαῦκος ἔτικτεν ἀμύμονα Βελλεροφόντην, (sic interpungendum)
τῷ δὲ θεοὶ κάλλος τε καὶ ἠνορέην ἐρατεινὴν
ὤπασαν.

Subiicit enim hic ex more suo poeta adiectivo sequentem sententiam, qua exponit, quibus in rebus Bellerophon eximius fuerit.

V. 31. ὅγε reducit saepius, sermone, qui inchoatus erat, interposita sententia abrupto, ad illum, de quo agitur. Conferant, qui hunc usum cognoscere cupient, v. 26; II, 24; XXIV, 425; Il. II, 109, 694; III, 328; V, 155, 331; IX, 565; XI, 461; XII, 298; XIII, 15; XIV, 37. —

Cum Passowio, μεταυδᾶν alloqui interpretante, non faciendum esse putem. Est potius, ut primariam et principalem, imo unicam, quam in Homericis carminibus tenet, potestatem constituam, dicere, verba facere inter alios, aliorum in medio; hoc te docebit praepositionis μετά, ubi cum dativo coniuncta apud poetas reperitur, significatus; hoc cognatorum verborum μεταφωνέω, μετάφημι, μετεῖπον (XXIV, 442 et 441) vis; hoc, quod cum plurali numero tantum construitur, singularem vero prorsus ab se spernit; hoc denique verborum alloqui significantium perpetua fere cum accusativo constructio, quam significationem quum post Homerum acceperit, ideo tum quoque non solum accusativum, sed etiam singularem ad se admisit. Vide Apoll. Rhod. II, 54. — Ceterum gravioris momenti res quotiescunque agenda est, Jupiter deorum consilium, quod inter epulandum et potandum plerumque habetur, ad se convocare solet, ut apparet ex V, 3; Il. IV, 1, VIII, 2, praecipue vero ex XX, 4, unde discimus non solum deos supremos, sed etiam, ut Ovidii verbis utar, Superum plebem, Flumina et Nymphas eo una cum ceteris ad deliberandum convenisse. Conferendi quoque sunt Homeri imitatores Virgilius Aen. X, 1 et Ovidius Met. I, 167.

V. 33. οἱ θεοὶ αἴτιοι, οὐ μὴν ἁπάντων γε (sc. τῶν συμφορῶν) καθάπερ οἱ ἄνθρωποι νομίζουσι, quibus verbis Scholiastes optime paululum abditum huius loci sensum exponit. Dicit enim Jupiter hoc: quaecunque mala homines patiuntur, ea diis imputant. Nec tamen iure meritoque hoc faciunt. Nonnulla enim mala etiam ipsi sibi sua stultitia et culpa, praeter ea, quibus ex fati et deorum voluntate afficiuntur, contrahunt.

V. 34. τὸ δὲ, ὑπὲρ μόρον, οὐ σύνθετον. Sic Scholiastes, quem in eo secutus est, quod nollem factum, Nitzschius. Melius Eustath. τὸ δὲ ὑπὲρ μόρον, συνθέτως ἐν ἑνὶ μέρει λόγου οἱ ἀκριβέστεροί φασι τῶν παλαιῶν. Favent huic sententiae Hesychius et Etymol. magn. s. v. ἀντὶ γὰρ τοῦ ὑπερμόρως εἴληπται, ἐκ γὰρ τοῦ μόρος γίνεται ὑπέρμορος, ἐξ αὐτοῦ τὸ

ουδέτερον, καὶ τὰ πληθυντικὰ ὑπέρμορα (Il. II, 155). Confer praeter Wellauerum ad Apoll. Rhod. IV, 20 etiam Passowium s. v. et, quem allegat, Heynium ad Il. T. IV, pg. 224. Consentientem porro me habet Eustathius in iis, quae de praepositionis *ὑπέρ* significatu adiecit, dicens: *ἡ ὑπὲρ ἰσοδυναμούσῃ τῇ παρά ἐν τοῖς τοιούτοις (ὑπέρμορον, ὑπερήνωρ).* Proprie enim *ὑπέρμορον* est super fatum, vel accuratius supra fatale h. e. ultra, quam fatum vult; sic Od. V, 436 explicari potest: destinatae quidem erant Ulyssi, et ex fati (V, 206), et ex Neptuni (290) voluntate aerumnae multae, mortem vero si occubuisset, plus ei, quam praestitutum erat, accidisset. Unde alibi, ut hoc loco, v. 35, Il. II, 155, Il. XXI, 517, idem est, quod *παρά* h. e. praeter, contra fatum.

V. 35. *νῦν. ὅτι τὸ νῦν κατὰ τοὺς παλαιοὺς τοὺς τρεῖς χρόνους δηλοῖ τὸν ἐνεστῶτα, τὸν παρῳχημένον* (ut n. l.) *καὶ τὸν μέλλοντα* (v. 200; XXII, 6; Il. XX, 307.). Ita recte Eustath. ad Il. II, pg. 164. Eadem fere annotata, exemplis ex Homero additis, in Etym. magn. et apud Hesych. invenies, qui vero egregie ad nostrum locum adiicit: *δηλοῖ δὲ καὶ τὸ ἀρτίως.* Vigerus, postquam in l. l. pg. 425, quod verum est, de hac particula protulit, Hoogeveno suffragante, contendit *νῦν* praeterito iunctum numquam significare tempus dudum transactum. Minus recte. Ex nostro enim loco cum v. 43 comparato, quum in iis tempora, quibus septem interiacent anni (III, 306), hac particula indicata sint, satis, opinor, patebit *νῦν* etiam de longius remoto tempore usurpatum esse. Est igitur *νῦν*, quum per se nullam certi temporis habeat significationem, pro toto uniuscuiusque loci contextu, alias nunc, alias modo sive nuper, alias mox. Sed hoc obiter indicasse in praesens satis est.

V. 36. Spohnius, quoniam in l. l. omnes locos ex Rhaps. I, III, IV, IX et XXIV, ubi poeta de Agamemnonis interfectione meminit, quam accuratissime recensuit, mihi quidem otium facit; lectores tamen commonitos velim, cautionem adhibeant in iis, quae prae nimio studio quam plurima ex Odysseae extrema parte in suspicionem adducendi de versu 97 libri XXIV statuit; quem locum, si quid iudico, facile cum ceteris ad concinnitatem revocaveris. — Varias scriptorum fabulas, quae ad Agamemnonis reditum et internecionem spectant, maxima cum diligentia indagavit et collegit J. A. Fuchs in libro: De Variet. Fabul. Troic. pg. 170 sqq. Qui quidem iuvenis, quum haud vulgari ingenio et doctrina, cuius egregia specimina in libro laudato exstant, praeditus fuerit, immatura morte oppressus inexplebile sui desiderium et litteris et amicis reliquit.

V. 38. *ἐΰσκοπος. Οὐχ ὁ δόλιος Ἑρμῆς ἢ ὁ χθόνιος ἤ τις τοιοῦτος ἐπαίδευε τὸν Αἴγισθον, ἀλλ' ἐΰσκοπος, δι' οὗ προσκοπεῖσθαι εἶχε τὰ μέλλοντα.* Quam annotationem eo adscripsi consilio, ut Eustathii opinionem meam facerem: qui Mercurium non eam ob causam, quod Argum interfecerit, ita dictum putem, sed quod universe deus ille haud *ἄσκοπος* sit, sed *ἐΰσκοπος* h. e. prudens et providus. Quod qui approbaverit, iure ponat interpunctionis signum non cum Wolfio ante hoc vocabulum, sed post illud. Ne quis mihi contra hanc sententiam provocet ad Il. XXIV, 24; quo in versu nullum aliud esse nomen, quocum *ἐΰσκοπον* coniungi possit, bene quidem video, sed haec est causa, cur illud ibi pro nomine proprio, cui sequens *Ἀργειφόντην* sit appositum, habeam et littera maiuscula scriptum malim. Apprime his, quae modo demonstravimus, convenit duplex vocabuli *ἐριούνιος* in eiusdem libri v. 457 et 360 usus.

V. 39. Praeponitur hoc loco, quod, temporis ordine servato, sequi debebat, ut Od. XIV, 201. Plura exempla si desideres, plura dabit Nitzschius ad IV, 202.

V. 40. *ποιητική ἐστι παρίσωσις. πάρισα γὰρ τὸ Ὀρέσταο — Ἀτρείδαο, ἤγουν ὁμοιοκατάληκτα ἢ ὁμοιοτέλευτα*, cuius rei exempla passim apud Homerum sunt obvia, quorum multa collegit Barnes ad Od. XIV, 199. Unde perspicuum est, quos versus medium, quod vocant, aevum, Leoninos eos nuncupans, vehementer in diliciis habebat, eorum prima vestigia iam in Homero reperiri. Haec autem res, ubi scilicet vocabula extremis syllabis consonantia in utriusque hemistichii fine sunt posita, quam Kannegiesserus apud Nitzschium ad h. l. magna cum cura quaesitam arbitratur, ex fortuita potius eiusmodi verborum collocatione, quae ratione constructionis arcte inter se cohaerent, videtur esse orta. Quod praecipue accidit in substantivo eiusque adiectis, quae necessarie, quod in casus eosdem cadunt, finem habent similem. Confer *μαλακοῖσι — λόγοισι* v. 56; *οἴκοιο — ἡμετέροιο* 397; *Κρητάων — εὐρειάων* XIV, 190; *πασιμέλουσα — πλέουσα* XII, 70; *φωνήσαντε — ἀΐξαντε* Il. VI, 232. Quorum similia apud poetas Graecos Latinosque sunt plurima. — Quod ad sensum, Eustathius veteres interpretes sequens exponit *ἐξ Ὀρέστου τίσις τουτέστιν ἐκδίκησις ἔσται τοῦ Ἀτρείδου Ἀγαμέμνονος*. Vidit, ut in aperto est, nostro loco eiusmodi genitivi exemplum, ut Il. XIV, 483; Il. XXII, 333 et alias reperies cuiusque usum, apud poetas frequentiorem, quam apud eos, qui prosa oratione scripserunt, illustrant Herm. ad Vig. pg. 878, Thiersch. Gr. §. 206, 1; Bernhardy Synt. pg. 160 et 162. Quod structurae genus etiam apud Latinos pro magna utriusque linguae etiam hac in re convenientia hic inde deprehendimus, uti docet Rudimannus Inst. Gr. Lat. pg. 421.

V. 41. Quando non solum pubuerit, sed etiam patriam terram desiderabit. Cum respectu ad futurum (*ἔσσεται*) aoristus (*ἡβήσῃ*) factum praeteritum, praesens (*ἱμείρεται*) vero id, quod eodem fit tempore, indicat. Defendit praeterea nostram rationem locus simillimus II, 357 et 58:

> *ἑσπέριος γὰρ ἐγὼν αἱρήσομαι, ὁππότε κεν δὴ*
> *μήτηρ ἐσ ὑπερῷ' ἀναβῇ, κοῖτον τε μέδηται.*

V. 43. *ἀθρόα πάντ'*, omnia omnino, alles insgesammt, ut II, 356, 410: *τὰ δ' ἀθρόα πάντα τετύχθω.*

V. 44. Minerva procul omni dubio non quatenus est dea, *γλαυκῶπις* a poeta vocatur, quam ob causam post *θεά* interpunctione minore distinguendum videtur. Idem omnibus in locis faciendum esse censeo, ubi more Homerico angustioris significationis nomen alteri, latiorem vim habenti, subiicitur, ut *πατρός, Διὸς αἰγιόχοιο. Πανθοΐδην, ἀγαπήνορα Πουλυδάμαντα* (Il. XIII, 756). *θεά, Θέτις ἀργυρόπεζα. Ἀτρείδης, εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων. θεά, λευκώλενος Ἥρη. πατρός, ἐρισθενέος Κρονίωνος* (VIII, 289). *τόνγε ἄνακτα, ποδώκεα Πηλείωνα* (Il. XXIII, 35) et, ordine mutato, *Ζηνὶ κελαινεφέϊ, Κρονίδῃ* (IX, 552). Plura exempla recensere supersedeo, quod illa ubique Homerum legenti sunt obvia. Illud monere lubet, Wolfium, virum, cui Homerus tantum, quantum nemini, debet, in eiusmodi locis interpungendis a se ipso passim descivisse. Confer, verbi causa, Il. XIII, 112 cum 756. — De voce *γλαυκῶπις* multi multi fuerunt; quae res facit, ut lectoribus rebus cognitis aliundeque haustis obstrepere non audeam idque eo minus, quum Lucas in singulari dissertatione, quam superiore anno Bonnae edidit, de huius vocis derivatione et significatu acute et co-

piose exposuerit. Cuius disputationis summa est, *γλαυκῶπιν* vernacula lingua vertendum esse die glutäugige sive die strahlenäugige, Latine aut caesiis, quo verbo Cicero usus sit (de nat. d. I, 30), aut, quod ipse proponit, candentibus sive candidis oculis conspicuam. Qua vero in re hoc miror, virum doctum fugisse Ciceronianam interpretationem ab ea notione, quam ipse verbo subiicit, alienam esse. Vocabulo enim caesii sive coesii colorem significari, qui ad coeruleum accedat, minime vero candorem illum et splendorem, quo felium aliorumque animalium oculi insignes habentur, demonstrat Aul. Gell. II, 26, qui ita dicit: Nostris autem veteribus coesia dicta est, quae a Graecis *γλαυκῶπις*, ut Nigidius ait, de colore coeli, quasi coelia; quocum consentiunt Plin. H. Nat. VIII, 21; Donat. ad Terent. Hec. III, 4, 26. Non debebat praeterea pg. 5 Wolfii annotationem in Litter. Anal. III, 152 omittere, qui, ut Lessingius, *γλαυκῶπιν* reddit glauäugig.

V. 45. Construitur, quae Hermanni ad Hymn. in Ap. v. 14 est sententia, *ὦ* eadem ratione, ut articulus, quam ob causam adiectivi loco positum *πάτερ ἡμέτερε* non putat interpunctione a sequenti *Κρονίδη* seiungendum. In aperto autem est, quare recepta quoque distinctio commode, imo melius propter sequentia *ὕπατε κρειόντων* defendi possit.

V. 46. *κεῖσθαι* prorsus ut Latinorum iacere et vernaculum danieder liegen, quod Wolfius usurpavit, quam saepissime de iis adhibetur, qui magna calamitate afflicti nullam recuperandae salutis spem habent. Porro est verbum proprium de mortuis et in proelio interfectis. De hoc usu iam satis monuerunt Hesychius, dicens, *ἀντὶ κακοῦ τίθεται τοῦτο (κεῖσθαι) ἢ θανάτου ἢ ἀπραξίας*, et Bremi ad Nep. VIII, 2, 6. Huic propriae significationi magis etiam consentaneum est, appositum dativum *ὀλέθρῳ* de loco, neutiquam vero de causa accipere, quod insuper confirmat Od. XXI, 88: *κεῖται ἐν ἄλγεσι θυμός*.

V. 47. Optativus ex Hermanni (De legibus quib. subt. serm. Hom. Op. II, 33) praecepto hic habet locum, quoniam ut prorsus incertum ponitur, an quis hoc facturus sit. Confer II, 335; XXI, 161, praecipue vero XV, 359. — Posterior dimidiatus versus occurrit VI, 286; XXII, 315 et Il. XXIII, 494.

V. 48. Nondum virorum doctorum depositum videtur certamen de primaria vi vocis *δαΐφρων*, quorum alii, ut Wolfius ad h. l. illud deducunt a *δαΐς*, alii, ut Nitzschius a *δαῆναι*; alii denique, ut Buttmannus Lexil. I, pg. 200 et Passowius s. v. maxime putant pro diversa significatione in Iliade a priore, in Odyssea autem a posteriore vocabulo derivandum esse. Qua in controversia, quum ab unoquoque probabilia argumenta allata sint, lector diiudicet, quaenam sententia reliquis sit anteferenda.

V. 50. Interpretes, quoscunque inspiciendi mihi copia fuit, uno Wolfio excepto, in eam sententiam disputant, ut dicant *ὀμφαλὸν θαλλάσσης* significare medium mare; quam rem ut demonstrent, ad serioris aetatis scriptores provocant, negligunt vero hanc potestatem exemplis, ex Homero ipso depromtis, probare. Verum enimvero ubicunque recedens a primaria vi haec vox in Homericis carminibus reperitur, notatur ea pars quaedam eminentior, praecipue vero clipei umbo (*ἀσπίδος ὀμφαλός*) et iugi clavus (Il. XXIV, 273, ad quem locum falsa Hesychii interpretatio s. v. *ὀμφαλόεντα* pertinere videtur). Quae res me pedetentim in hanc adduxit sententiam, ut etiam hic *ὀμφαλόν* de loco supra pelagus exstante caperem, recordans Homero per quam familiare esse, quidquid, ut verba Quintiliani mea faciam, significari brevius possit, cum ornatu latius ostendere. Tota

enim enunciatio ὅθι τ' ὀμφαλός ἐστι θαλάσσης praecedenti νήσῳ explicationis causa adiecta est hoc sensu: insula in circumflua, ubi scilicet eminentia est maris, h. e. ubi e mari terra eminet. Favet meae sententiae τε relativo ὅθι additum; quae particula, quoties relativis iungitur, rei iam definitae aliud quid addit, quod quidem etiam salvo sensu abesse possit, quum e contrario relativum simpliciter positum rem incertam definiat. Ita saepius laudatus, nunquam nimis laudandus Hermannus ad Hymn. in Ap. v. 390. Quodsi adhuc opus erit, adiumentum ad sententiam meam confirmandam ex Wolfii interpretatione et ex alius insulae descriptione capiam, quam Od. X, 195 sq. invenies, cuius loci praeclaram explanationem proposuit Voelcker in l. l. pg. 54.

V. 51. δενδρήεσσαν vocat insulam propter magnam arborum copiam ibi provenientium. Non solum Calypso media in silva habitat (V, 63), sed altera etiam silva, unde Ulysses materiam sibi ad ratem aedificandam sumit, in extrema insula est (ib. 238).

V. 52. Quantopere viri docti, ubi propriam vocis ὀλοόφρων potestatem exponere et reddere conantur, in contrarias sententias distrahantur, ostendunt praeter Eustathii, Scholiastae, Nitzschii, Passowii annotationes, variae et diversissimae eiusdem vocis translationes. Convertit enim eam Voss in prima editione Allerforschender, postea schädlich Gesinnter, Wolf Allkundiger, Kannegiesser Fraislicher, Schwenk Klugheitsvoller, Clark denique multiscius.

V. 53. Non ausim cum Nitzschio δέ τε αὐτός reddere und er auch, er eben, melius, mea quidem sententia: welcher . . . kennt und auch allein die Säulen hält. Confer Passowium s. v. δέ, c et s. v. αὐτός, 5; Hermannum Opusc. I, 314, porro Wolfium ad h. l., denique Bernhardy Synt. pg. 483, qui praeterea ostendit, particulas δέ τε nusquam, nisi apud Homerum, coniunctas reperiri, pro iis vero eodem significatu Atticos καί τε posuisse.

V. 58. Manifeste, quae sequuntur, magnum desiderium patriae exprimunt, quo desiderio mirum in modum Ulysses, quippe patrii soli amantissimus (Ov. ex Pont. IV, 14, 35), aestuat, ut ostendunt V, 151 seqq., 219; VII, 224; IX, 28. De sententia etiam in universum inter omnes convenit. Haeret tamen in hoc loco aliquid ambiguitatis, quae causa fuit, cur illum alii aliter interpretarentur, quorum autem plerique sensum exposuerunt, qui Homericae dicendi simplicitati repugnet. Mihi quidem, quantum perspicio, verba hac ratione videntur accipienda: Ulysses autem cupiens (h. e. quia cupit, sed frustra, quippe a dea, 55 et V, 14, cui mortalis repugnare nequit, retentus) vel fumum patriae suae resilientem videre (quodsi pedibus patriam terram calcare ipsi non liceret, e longinquo tantum, id quod ei iam antea contigit [X, 29 et 30], illam prospicere desiderat) mori exoptat. Amor igitur patriae, quam revisere desperat, valentior, secundum Ovidium, omni ratione efficit, ut prorsus illum vitae taedeat. — Observes, quantopere indoles poetica in verbo ἀποθρώσκειν, quo tam apte escendens fumus depingitur, elucescat. Similis locus est Od. X, 99:

καπνὸν δ' οἶον ὁρῶμεν ἀπὸ χθονὸς ἀΐσσοντα.

V. 60. Quam ingeniosa sit Nitzschii annotatio, tamen eius de nostro loco dubitationes leviores videntur, quam quibus omnium optimorum codicum cedat auctoritas, praesertim quum vulgaris lectio commode defendi possit. Namque ἐντρέπεται propria sua vi, ut ἐνστρέφεσθαι Il. V, 306 et ἐντρέχειν Il. XIX, 305, est se vertere intus (drinnen), porro par-

ticula τε, unde illud τ' derivandum esse arbitrer, saepius interrogationem praecedenti sententiae coniungit, veluti 346; Il. I, 8; XI, 838; XII, 409. Denique secundum ea, quae ad v. 26 annotavimus, coniungenda sunt χαρίζετο ἱερά. Qua in re quodammodo nobis suffragatur Eustathius, τὸ δὲ χαρίζετο, dicens, ἢ ἀπολύτως νοητέον, ἢ συνταχτέον τῷ ἱερά. His ita constitutis, verbum de verbo sic exprimas: Ne nunc quidem (ubi tot labores et pericula Ulysses exanclavit et malis defatigatus, omnem spem reditus abiiciens mortem desiderat) tibi vertitur intus tuum cor, Olympie! et nonne quondam Ulysses apud Achivorum naves animo lubenti sacra obtulit sacrificans? Illud quoque in transcursu monendum est, Wolfium minus accurate Il. VIII, 201; XV, 553; XXI, 441 coniunctim edidisse σοίπερ et τῶνπερ, quum separatim, ut hoc loco, scribendum erat σοί περ, τῶν περ. Pertinet enim πέρ, ut 236, III, 236, 321; IV, 729; XI, 452; Il. XI, 841; XXI, 130, 410, ad negationem οὐδέ, a qua interpositis vocabulis est seiunctum, eadem prorsus ratione, ut Latinis hoc usitatum est in eiusdem significationis particula, nequidem.

V. 64. Inter omnes, quicunque hunc locum explicaverunt, diu multumque mota est quaestio, utrum locutio ἕρκος ὀδόντων de dentibus, an de labiis sit accipienda. Nitzschius priorem amplexus est sententiam, posteriorem vero Hesychius explicans ἕρκος, τεῖχος, περίβολος, περίφραγμα, ὡς τῶν ὀδόντων τὰ χείλη, quocum congruunt Etym. magnum et Eustathius, exponens: ποῖος λόγος ἐξέφυγε σου τὰ χείλη. Quod vero addit, αἰνίττεται δὲ ὁ ποιητής, ὡς ἡ φύσις, ἵνα μὴ πτερόεντες ὄντες οἱ λόγοι προπετῶς ἔχοιεν τοῦ στόματος ἐξίπτασθαι, διπλῷ ἕρκει τὴν αὐτῶν διέξοδον ἐστεγάνωσε τῷ τε τῶν ὀδόντων, τῷ τε τῶν χειλέων, hoc nimis quaesitum et a poetae nostri mente alienum videtur, quamquam in hanc fere sententiam alius poeta locutus est. Nam apud Schakspearium, in fabula Richardi III nomine inscripta (I, 3), quidam dolore exsilii, quo modo multatus est, vehementer commotus exclamat:

„ Ihr habt die Zung in meinen Mund gekerkert,
Der Zähn' und Lippen doppelt Gatter vor.

Ut ad Homerum revertar, veteres igitur interpretes labia intellexerunt, quae interpretatio etiam eo probatur, quod Homerus verbo ἕρκος, forma tantum ab ἔρυμα (Il. IV, 137), ἐρυσμός, εἶλαρ (Il. XIV, 68) differenti, illum solummodo adiungit genitivum, quem obiectivum Grammatici nuncupant. Ita vocat clipeum (Il. IV, 137) ἕρκος ἀκόντων, Aiacem (Il. III, 229; XV, 646) ἕρκος Ἀχαιῶν, Achillem (Il. I, 248) ἕρκος πολέμοιο, murum (Od. XXII, 442) ἕρκος αὐλῆς, sepem vivam (H. in Merc. 188) ἕρκος ἀλωῆς, cingulum (Il. IV, 137) ἕρκος ἀκόντων, Mercurium denique (Hymn. VIII, 3) ἕρκος Ὀλύμπου.

Loquendi formula est καθ' ὅλον καὶ μέρος, qua totum (h. l. σέ) restringitur ad partem (ἕρκος ὀδόντων). Solent enim Graeci et inter illos praecipue Homerus, ubi, toto nominato, certam in eo partem definire volunt, hanc ipsam partem per appositionem, quam dicunt, addere. Ex magna exemplorum copia pauca tantum dabo: φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη τηλεθόωσα φύει (Il. VI, 147); τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψεν. τὸν δὲ βάλε δουρὶ στέρνον. θηλύτεραι δὲ γυναῖκες ἐνὶ μεγάροισιν ἑκάστη (Il. VIII, 520). ὄφρα οἱ μένος ἐν φρεσὶ θείω. εὖτ' ἄν μιν κάματος κατὰ γυῖα λάβῃσιν (192). τί δέ σε φρένας ἵκετο πένθος (Il. I, 362). πῶς τίς τοι πρόφρων ἔπεσιν πείθηται Ἀχαιῶν (Il. I, 150), pro quo scribere potuit et ἔπεσιν σοῦ et σοῖσ. Similiter Latini: quomodo aliquis Achivorum tibi dicto audiens sit. Elegantem enim formulam, audientem esse dicto alicui,

eidem constructioni accenseam. Huic parti nonnunquam alia pars angustioris etiam notionis subiungitur, ut Il. XI, 11 Ἀχαιοῖσιν δὲ μέγα σθένος ἔμβαλ' ἑκάστῳ καρδίῃ.

V. 65. Adverte eundem versum consequentem enunciationis partem esse Il. X, 243. Unde satis apparet, imperfectam hic relictam esse a poeta sententiarum seriem eamque ita supplendam esse, ut in cogitato membro simul habeas, cui particula ἔπειτα innitatur. Haec sententia ex Minervae verbis, ad quae, ut optime Hermannus ad Vig. pg. 783 vidit, ἔπειτα refertur, assumenda, eiusmodi fere erit: εἰ μὲν δὴ Ὀδυσσεὺς χαρίζετο ἱερὰ ῥέζων, πῶς ἂν ἔπειτα κ. τ. λ. Qua vero in re animadvertendum est omissae enunciationis summam iis, quae nostrae sententiae adiecta sunt, ita intextam esse, ut Iupiter non solum verbis πέρι δ' ἱρὰ θεοῖσιν ἀθανάτοισιν ἔδωκε repetat, quae Minerva protulit, sed alia etiam in Ulyssis laudem et honorem addat, διὸ καὶ θεῖον αὐτὸν εἶπε καὶ περίνοιαν αὐτῷ ἐπεμαρτύρατο. Ceterum membro, quod ab εἰ inchoatur, praemisso, in altero membro ἔπειτα passim invenitur, ut 82 et 84; 289 et 290; Il, X, 243.

V. 68. γαιήοχος. Eustathius, aliis interpretationibus praemissis, adiicit derivandum quoque esse hoc vocabulum ἀπὸ τοῦ ὄχοις γαίειν, ὅ ἐστιν ἅρμασι χαίρειν, ἵππιος γὰρ ὁ Ποσειδῶν. Quae explicatio quamquam habet, quo commendetur, tamen eam vulgari non praetulerim.

V. 69. Solet quidem poeta nonnunquam huiuscemodi vocibus, quarum vis iam per se satis definita est, aliquid ex abundanti addere, sed adiecto ὀφθαλμοῦ hic et IX, 503, 516 ea potestas inesse videtur, ut eo fortius exprimatur, quemadmodum Polyphemum unico oculo Ulysses privarit. Quod hic ἀλαοῦν, id alias, aut ἐξαλαοῦν, aut τυφλόν sive πηρόν τιθέναι (Il. VI, 139; II, 599), aut ἀμέρδειν ὀφθαλμῶν (Od. VIII, 64) dicitur, ubi Eustathio assentiri nequeo, dum perperam statuit ἀλαοῦν et ἀμέρδειν, quum μέρδειν proprie idem sit, quod ὁρᾶν, significare unum idemque. Longe melius Etym. magn. verbi ἀμέρδειν originem atque vim exponit.

V. 72. Vocabulum Φόρκυς duplicem habere genitivum υνος et υος (Hes. Theog. 336) docent Draco Stratonicensis et Lascaris apud Hermannum in Dis. de Argum. pro ant. Orphei Argon. allatis. Op. II, 5.

V. 74. ἐκ τοῦ, quod, uti ab Schweighaeuserio ad Herod. VI, 84 observatum est, ex Ionica dialecto idem valet, atque ἐκ τούτου vel ἐκ τοῦδε, tum ex hac causa, quum ab hoc tempore significare potest. Quum vero priorem potestatem vix quisquam pro Homerica agnoverit, ideo ἐκ τοῦ etiam hoc loco erit ex eo tempore.

V. 77. Commode observat Eustathius: τὸ μεθήσει (remittet) τὸν χολόν, οἱ μεθ' Ὅμηρον ἀφήσει (dimittet) φασίν. Alia structura verbum gaudet Od. XXI, 377: καὶ δὴ μεθίεν χαλεποῖο χόλοιο.

V. 78 et 79. Duas enunciationes, οὐ γάρ τι δυνήσεται ἀθανάτων ἀέκητι θεῶν et οὐ γὰρ δυνήσεται ἀντία πάντων ἐριδαινέμεν οἶος in unam hic esse confusas Nitzschius censet. Neque intercedam, quo minus quis ita construat, sed tamen magis ex Homerici sermonis proprietate ideoque veri similius erit, post ἀντία et θεῶν interpungere atque locum sic accipere: nihil enim profecto poterit contra, omnibus diis invitis, contendere solus. Adverbio enim ἀντία eo fine πάντων ἀθανάτων ἀέκητι θεῶν, quibus eadem fere notio iteratur, addita videntur, ut perspicuitas et pondus simul sententiae accedant. —

Quod ad particulas οὐ μὲν γάρ τι pertinet, eae passim apud Homerum coniunguntur, ut 173, 392.

V. 82. Verbum εἶναι crebro iam apud Homerum omissum est, praecipue ubi, velut copula, suppositum cum illo, quod de eo dictum est, coniungit. In iis tamen enunciationibus, quae ex altera pendent, haec omissio rarior est; vide tamen Od. X, 176; Il. I, 547; V, 481; VII, 352; VIII, 230; XI, 537, 629; XIV, 376; Hymn. in Cer. 445. Eiusdem verbi duriorem ellipsin interpolationis causam fuisse II, 137; Il. VII, 353; IX, 476 putat Wolf Prl. p. 275.

V. 85. Ἑρμείαν . . νῆσον ἐς Ὠγυγίην ὀτρύνομεν. Tali in loquendi formula, in familiari sermone valde usitata, nullum, id quod compluribus video placuisse, supplendum est verbum, si modo ad id, quod scriptoris menti obversatum est, animum advertimus. Vide Hermannum ad Vig. p. 876 et Brunckium ad Sophoclis Antig. 573. Eiusmodi constructionem etiam vernacula lingua concedit et Latina, ut Cicero: in Pompeianum statim cogito. Rhodum volo. Plura exempla tibi suppeditabit Sanctii Minerva pg. 664.

V. 87. νόστος, proprie de reditu in patriam (ἡ εἰς οἶκον ἀνακομιδή. Hesych. et Et. magn.; ἐπανέλευσις, ἐπάνοδος εἰς τὰ οἰκεῖα. Eust.) usurpatum, saepius totam sibi adiungit sententiam, quae sententia, dum vocem ipsam circumscribit, eandem simul magna cum vi repetit. Ita h. l. et V, 31 ὥς κε νέηται, V, 77 ὅπως ἔλθῃσι, IV, 390, 424 et 470 ὡς ἐλεύσεαι.

V. 89. Comparativi vim optime perspexit Eustathius. Cui duci et antesignano assentiens illum refero ad id, quod, quamquam reticetur, tamen ex totius orationis contextu est intelligendum. Verbis enim ut eius filium magis impellam cogitando suppleo quam ipse se impellit, ἀπὸ τοῦ βουλεύεσθαι nimirum εἰς πρᾶξιν. Huic interpretationi praesidium conciliatur ex v. 322 ὑπέμνησέν τέ ἑ πατρὸς μᾶλλον ἔτ' ἢ τὸ πάροιθεν, ubi integram sententiam habes. De eiusmodi comparativis, qui apud Homerum, ut v. 351; II, 334; IV, 419; V, 224; XV, 370; XVIII, 22, 347; Il. V, 231; VIII, 470; XII, 344; XIV, 362; I, 32 demonstrant, numero sunt plurimi, verissime Varro alicubi apud Servium dicit: comparativi hi sunt per diminutionem i. e., quemadmodum dilucide Perizonius ad Sanctii Min. p. 220 haec explicavit, ad effectum significationis minus, quam absolutum, significant. Rem tetigerunt Herm. ad Vig. pg. 719, Bernhardy Synt. p. 433, Thiersch Gr. §. 281, 2, 6.

V. 90. Wolfius, qui suum scheitelbehaart, nisi metricis legibus nimis anxie se obstrinxisset, fortasse in hauptbehaart, quo καρηκομόωντας accuratius reddi videtur, mutasset, scite hanc explicationem vocabuli adiicit: die ihr Haar am ganzen Kopfe wachsen ließen und lang trugen, da einzelne Völkerschaften es an dieser oder jener Seite schoren, die Asiaten aber beinahe kahl gingen. Il. II, 542, IV, 533. De cincinnatis Achivis minime cum Vossio cogitandum esse, scit, quicunque Heroicae aetatis consuetudinem bene observavit. Non pigebit porro relegisse, quae in hanc rem doctissime vir celeberr. Naekius, Choeril. p. 139 annotavit.

V. 93. Non arbitrer cum Schaefero et, qui ei assentiuntur, Hermanno ad Vig. p. 854 Nitzschioque a vulgata lectione recedendum esse. Genuinam enim scripturam esse δ' ἐς Σπάρτην, quod codices maximam partem habent, primum ex eo intelligitur, quod idem fere versus ita Od. II, 214, 359; IV, 702; V, 20 sine lectionis varietate legitur. Deinde admodum dubito, num ex Homero idonea exempla proferri possint, ubi praepositio semel tantum posita et secundo nomini adiuncta simul ad prius nomen sit referrenda, quum haec structurae forma ab Homerica dicendi simplicitate aliena videatur. Noli huc trahere Od.

XII, 27. Nam ibi genitivus ἁλός non necessarie pendet a sequenti praepositione, sed per se solus, locum significans, positus esse censendus est, de quo usu iam satis monuerunt Hermannus Opusc. I, 187 et Thierschius Gr. §. 254, I, d. Similiter etiam nullius momenti est XI, 66 et 67, ubi nequaquam, quod nonnulli fecerunt, Scholiastae assentiendum est, qui genitivum τῶν ὄπιθεν refert ad sequens πρός, non cogitans illum cum verbo γουνάζεσθαι coniungi posse.

V. 98. ἅμα, ὁμοῦ, ἐν τῷ αυτῷ χρόνῳ. Sic Hesychius, cui apprime convenit Etym. magn.: ἐπίῤῥημα esse συλλείψεως ἤ ἀθροίσεως. Hanc propriam suam vim haec vox apud Homerum tenet, ubicunque aut absolute positum est, aut casum tertium recipit. Primitus igitur ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο est simul cum ventis h. e. sandalia (πέδιλα), dum deam portant, ventos ipsos celeritate æquant. Qui vero ab aliquo, quocum certat, non superatur, is eidem par dicitur aut similis; unde apparet, ἅμα nostro loco non differre ab ὁμοίως, ὅμοιος (Il. X, 437). Conferendi sunt Eustathius et Scholiastes ad h. l. Aliter autem, atque ego, Virgilius, Homeri perpetuus aemulator, locum intellexit. Hunc enim locum, aut V, 43 seq., verbum fere pro verbo (Aen. IV, 239) sic reddidit:

et primum pedibus talaria nectit
Aurea, quae sublimen alis, sive aequora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.

Verbis pariter cum flamine portant nullam inesse comparationem ostendit Iovis mandatum (223), Vade age, nate, voca Zephyros. Dii igitur apud Virgilium ventos, ut citius, quo tendunt, perveniant, in auxilium vocant iisque adiuvantibus per auras feruntur et rapidius promoventur, id quod Aen. V, 607 confirmat. Alia quoque in re ab Homero desciscit Virgilius, dum Mercurio pinnarnm talaria, sive pinnas talares, h. e. calceos alatos pro Homericis calceamentis tribuit. Haec enim alis omnino carebant, qnamquam illis vibrandi vis inerat, qua deo, dum illum levabant, incitatius se promovendi dabant facultatem.— Praeclare poeta velocitatem et rapiditatem, qua dii iter, si modo volunt, faciunt, comparat, nunc cum ventis, nunc cum hominum cogitationibus (Il. XV, 80; Hymn. in Ap. 186, 448), iidem, nunc velut fulgentes stellae per auras delabuntur (Il. IV, 75; Hymn. in Ap. 440), nunc veluti nix et grando, aquilone flante, in terram decidunt (Il. XV, 170), nunc ut nubes in coelum ascendunt (Il. V, 867), aut tamquam nebula e mari emergunt (Il. I, 359), nunc plumbi instar in mare demerguntur (Il. XXIV, 80). Avi modo similes ex aethere devolant (Od. V, 51; Il. XIII, 62; XV, 237; XIX, 350; Hymn. in Cer. 43, in Ap. 114; Aeneid. IV, 254), aut pavidis columbis incedentes aequiparantur (Il. V, 778, Hymn. in Ap. 114); Neptunus denique ter tantum progrediens maximis gradibus summo de monte in planitiem pervenit (Il. XV, 20). Similiter modo sub pedibus incedentis dei tremunt et terra et montes et silvae (Il. XIII, 9; XIV, 285), modo ne tangitur quidem terrae et maris superficies aut summa tantum (Il. XIV, 228, 285; XIII, 30. Aen. I, 147).

V. 99. ἔγχος sive ἐγχείη, hasta, lancea, cuius accuratiorem explicationem Il. VI, 319 et VIII, 494 invenies, inter deos praecipue Minervae et Marti, inter homines heroum cuique obvenit, quoties hi vel ad pugnandum prodeunt, vel ad venationem exeunt (XIX, 438), vel itineri se committunt (XV, 282; Il. V, 746), vel in concionem descendunt (II, 10; XVII, 62; XX, 127, 145; Il. X, 135). Huius hastae loco heroes interdum bina iacula,

δύο δοῦρε, lanceis breviora leviorisque, ut ex Il. XVI, 139 apparet, ponderis gerunt. Confer 256; XVIII, 377; XXI, 101, 110, 125; Il. V, 495; XI, 43; XIII, 241; XVI, 139. Homerum plane imitati sunt Virgilius Aen. I, 377; X, 868; XII, 165 et Ovidius Met. III, 53. Multa in hanc rem dedit Nitzschius ad II, 10.

V. 105. Taphii, quorum regnum tunc Mentes obtinebat (183), rebus maritimis operam dantes, unde et ipsi *φιλήρετμοι* (419), et Mentae pater *Ἀγχίαλος* (180) vocatur, quum satis magna copiosaque, prout tempus ferebat, mercatura floruisse videntur (184 sq. XIV, 452), tum praedones audacissimi mare infestum reddebant (XV, 426; XVI, 426; Apollon. Rhod. I, 750). Ubinam vero incoluit gens illa? Recte addubitatum est, num Eustathio Scholiisque ad h. l. et ad Apoll. l. l. fides habenda esset, contendentibus *Τάφον νῆσον εἶναι τῶν Ἐχινάδων*. Plinius certe, ubi in Hist. Nat. IV, 19 Echinades, quae, ut Thucydides II, 102 et Herodotus II, 10 aiunt, ab Acheloi ostio non procul distantes, humo adgesto partim continenti iam tum coniunctae erant, Plinius, inquam, ubi nominatim eas recenset, huius insulae mentionem non facit. Sed paululum super Echinades, quae, cum maxima ex parte steriles et desertae essent, populo mercaturae dedito minime erant convenientes, septemtrionem versus, inter Leucadiam et Acarnaniam tres sitae erant insulae (Taphias, apud Homerum (417) et Strabonem Taphos sive Taphiusa, Oxiae, Prinoessa) Teleboides eaedemque Taphiae vocatae, quarum de situ adeas Reichardi tabulam geographicam, quae Graeciam septentrionalem repraesentat. Teleboae sive Taphii, continente, Acarnania, relicta, has insulas occupasse dicuntur, quod didici ex Strabone X, p. 316, Schol. ad Ap. Rhod. I, 747 et Steph. Byzant., qui *Τηλεβοῒν μοῖραν τῆς Ἀκαρνανίας* dicit *ἀπὸ Τηλεβόου, ἢ πρότερον Ταφίων ἐκαλεῖτο*. Iidem Teleboae postea in Capreas, Italiae proximas, migraverunt; vide Lipsium ad Tac. An. IV, 67 et Heynium ad Virg. Aen. VII, 735. In Teleboas ergo seriore tempore permutata est, ut videtur, antiquior incolarum nominatio, *Τάφιοι*, apud Homerum sola obvia, quocirca non solum *γεωγράφος* (Srabo l. l.) *ταυτίζει τοὺς Ταφίους καὶ τοὺς Τηλεβόας*, sed etiam Apollonius l. l. et Hesiodus sc. 19 nuncupant illos modo Teleboas modo Taphios. Itaque, ut omnia summa tribus verbis complectar, sequitur Taphios partim incoluisse occidentale Acarnaniae littus, partim eas insulas, quae Ithacae in septemtrionem versus adiacent, itemque Eustathium et ceteros interpretes aut in errorem incidisse, aut nomen Echinadum latiore sensu etiam Teleboidas insulas complexum esse. Denique, ut omnia, quae huc pertinere possint, conferam, erat etiam urbs Taphos in insula, Ithacae proxime obiecta, Cephallenia, cuius vero incolae, quum Ulyssis ditioni fuerint subiecti (Il. II, 634 sq.), nequaquam intelligi possunt. Ceterum haec praedandi consuetudo, quam supra commemoravi, iisdem Acarnanibus eorumque finitimis ita inveteravit, ut Thucydidis adhuc temporibus hoc prisco more viverent ideoque haud aliter, nisi in armis prodirent. V. Thucyd. I, 5.

V. 106. Quoniam *ἔπειτα* hic, ut Hermanni ad Vig. p. 784 est sententia, dictum est de re fortuita, quae ad id, de quo agitur, nihil aut certe non multum facit; ideo, ut mea fert opinio, non convertendum erat, sie spielten da, hoc enim de loco accipiendum esset, sed sie spielten damals grade. Nam negari nequit vel in eiusmodi locis, ubi, quod non ita frequens est, Homerus ab hac particula novam sententiam exorditur, propriam vocabuli vim non prorsus esse oblitteratam.

V. 109. *οἱ μέν, κήρυκες· οἱ δέ, θεράποντες.* Ita Scholiastes. Movit haud dubie virum, quem, ut video, non pauci secuti sunt, quod, ut Eustathius, opinatus est *ἐνδοξοτέρους θεραπόντων* esse *τοὺς κήρυκας*, ideoque munus inferius mensas spongiis abstergendi minime ad praecones pertinere. Speciosa sane minimeque ex grammaticis legibus damnanda sententia. Licet enim ex innumeris exemplis, quae apud Homerum et apud ceteros scriptores inveniuntur, iure colligatur, pro vulgari habendum esse, ubi *ὁ μέν*, quemadmodum Latinorum h i c, ad propinquius nomen referatur, tamen satis multi loci nobis obvii sunt, in quibus *ὁ μέν* et h i c redeunt ad id, quod ordine antecedit. Ex quibus locis non ita difficile demonstrari potest verissime esse, quae de pronominum h i c — i l l e vi et usu acutissime nuper Tristium ille editor (Lipsiae 1829) ad I, 2, annotavit, cuius verba hic inserere iuvat: In Gegensätzen bezieht sich hic jederzeit auf den Gegenstand, der für den Sprechenden entweder örtlich (oder auch der Zeit nach) der nächste, oder dem Einflusse nach der wichtigste ist. Sind beide gleichwichtig, so geht hic auf das Letztgenannte. Sic ille, quocum conferri possunt Stallbaum ad Rudimanni Inst. Gr. I, 198, Grysar Theorie des latein. Stils. pg. 82, Sanctii Min. II, 9, 7. Equidem igitur nullus dubitem idem spectare ad *ὁ μέν — ὁ δέ*, ita ut *ὁ μέν* ad remotius aut ad propinquius nomen referatur, prout maioris momenti res vel persona aut antecedat, aut sequatur. Exempla, si forte requiras, haec habeto: Od. XIX, 564 — 565; Il. I, 389 — 391; IV, 197, 207; V, 13, 28, 145, 593, 657 — 659; X, 541; XI, 472, 834 — 836; XVI, 632; XVII, 305; XXIV, 605; Hymn. in Ap. 16; in Merc. 315 et 317; Hesiodi Scut. 55 et 56; Herod. V, 65. Quum igitur loquendi usus non obstet, facile ad Scholiastae sententiam accederem, nisi alia interpretandi ratio, Homericae consuetudini magis consentanea, subesset. Nostro enim loco iterum inspecto et paulo altius repetito, patebit vocem *κήρυκες* hic praemissam esse, cui explicandi causa addiderit poeta, ut solet, *θεράποντες*. Quae explicatio quin vera sit, non potest dubitari, quum propterea, quod praecones alia negotia, aeque humilia, obeunt (sic aquam manibus infundunt [146], omniumque rerum, quae ad epulas pertinent, curam gerentes et in conviviis et inter pocula ministrant [143; XV, 140; XVII, 334; XX, 276; Il. XVIII, 558; XXIII, 39]): tum inprimis propter geminos locos, qui sententiae meae veritatem ex omni dubitatione eximent, quorum alter est Il. I, 320 et 321:

ἀλλ' ὅγε Ταλθύβιόν τε καὶ Εὐρυβάτην προσέειπεν,
τώ οἱ ἔσαν κήρυκε καὶ ὀτρηρὼ θεράποντε.

alter Od. XVIII, 424:

κήρυξ Δουλιχιεύς, θεράπων δ' ἦν Ἀμφινόμοιο, (sic locum distinxerim).

Quibus locis tertius denique non minoris ponderis accedit. Mittuntur enim XVIII, 291, qui dona afferant, praecones, quos paulo post 297 et 300 *θεράποντας* poeta vocat. Haec omnia satis certo documento sunt, etiam nostro loco *κήρυκας* et *θεράποντας* eosdem esse, ideoque *οἱ μέν — οἱ δέ* hic reddi debere a l i i — a l i i, sive p a r s — p a r s. Quae loci expediendi ratio aliquid praeterea praesidii a Wolfii interpunctione habet. — Qui hic *θεράποντες*, iidem alias aut *κοῦροι* (148) nominantur, aut *δρηστῆρες* (XVI, 248), aut *νέοι* (XV, 330), aut *ἑταῖροι* sive *ἕταροι* (Il. XXIV, 575, 590; XV, 404, 446); utpote et ipsi loco honesto nati (*κοῦροι, νέοι τῶν ἐλευθέρων*, Athen. V, 241), et heroum principibus, quibus se addixerant, summo obsequio summaque observantia coniunctissimi. De iis doctissime disputavit Nitzschius ad IV, 20.

V. 110. More erat heroicis temporibus receptum, ut vinum aqua miscerent et temperarent. Quam mixturam cum in cratera, pauperiores vero in κισσυβίῳ (Od. XIV, 78; XVI, 72) composuissent, inde poculis (κυπέλλοις, δέπασιν, apud agrestes σκύφῳ [XIV, 112]), ad quos id munus pertinebat, trulla quadam, quam Hesiodus (Op. 689) οἰνοχόην appellat, infundebant, quo munere apud Homerum vulgo κήρυκες, unde etiam οἰνοχόοι, fungebantur. Exceptis iis, qui aut summam tenebant, aut horum gratia florebant, ceteris convivis nihil, nisi certa vini portio, (δαιτρόν) praebebatur, id quod docebunt Il. IV, 261 sqq., 343; VIII, 162; XII, 310. Quantam aquam vino admiscuerint, in incerto est. Liquet enim ex IX, 209, ubi Ulysses, de vino quodam optimo loquens, uni eius poculo XX pocula aquae addenda esse affirmat, nihil pro certo colligi posse. Hoc autem constat, meracius (ζωρότερον) vinum nonnunquam fuisse appositum, verbi gratia, cum amicum hospitaliter apud se exciperent. V. Il. IX, 203. Ex quo probabiliter confici potest, pro vini bonitate et bibentium voluntate mixturam variasse. Vino mero (ἀκράτῳ), nisi in libationibus (Il. II, 341; III, 296; IV, 159; XVI, 230) et parentalibus (XXIV, 73; Il. XXIII, 219), omnino abstinebant.

V. 115. Vidit Nitzschius, viam, ut videtur, monstrante Ernestio, in huius loci constructione notum illud ἀντιπτώσεως genus, ubi accusativus priori verbo iungitur, pro quo usitatius in sequenti enunciatione eiusdem vocabuli nominativus exprimitur. Quam structuram et apud Graecos et apud Latinos usitatissimam, praeter eos, quos Nitzschius laudavit, exponunt Bernhardy Synt. pg. 466, Vechner Hellen. pg. 262 ibique Heusinger, Perizonius ad Sanct. Min. II, 5, 5, qui autem haud probabile accusativum pro more suo ad ellipsin particularum q u o d a d refert. Equidem vero hanc sententiam illis locutionibus, quarum modo mentionem fecimus, non annumeraverim. Necessarie enim, si quid iudico, accusativus verbo ὀσσόμενος, pro ea significatione, quam illud hic habet, additus est. Nam, si pro eo, quod nunc legis, Homerus scripsisset ὄσσομενος ἐνὶ φρεσὶν, εἴποθεν πατὴρ ἐσθλὸς ἐλθὼν κ. τ. λ., fieri omnino posset, ut aliquis locum male acciperet. Nunc vero sensus est apertus et indubius: O b o c u l o s a n i m o s q u e h a b e n s p a t r e m, n u m a l i c u n d e v e n i e n s p r o c o s f u g a r e t. κατὰ νοῦν αὐτὸν βλέπων καὶ ἀνειδωλοποιούμενος. Ad hanc explicandi rationem maximopere invitant et verbi ὄσσεσθαι potestas, quam Buttmannus Lex. I, 22, 3 uberius exposuit, et ille ipse locus (XX, 224), quem Nitzschius protulit, comparatus cum II, 35; XIV, 219. Ceterum mire errat Thierschius (§. 328, 3) nostrum locum et Il. IX, 380 in eorum numero ponens, ubi coniunctioni εἰ indicativus iunctus sit.

V. 116. Articulum hic legis additum, ubi forsitan non requiris; tamen non est supervacuus, sed primariam vim retinens converti debet aut i l l o r u m, aut, quod malim, cum motu et demonstratione manus intelligendus est, ita ut sit h i c, i l l i c, ut Il. I, 340 πρὸς τοῦ βασιλῆος, bei dem Könige d o r t; Il. I, 20 τά τ' ἄποινα δέχεσθαι, und das Lösegeld h i e r nehmet; ποῖον τὸν μῦθον ἔειπες, welches Wort hast du d a geredet! Apprime solemnis, ut omnibus constat, haec significatio est in pronomine ὅδε, ut 76, 185; IV, 26; VI, 206; X, 282; XXIV, 321, 331; Il. III, 192, 300; V, 175, 215, 261; Hymn. in Merc. 332, 336, 348; in Ven. 98, 259, 286; H. VII, 17. Quare etiam ἡμέρη ἥδε (Il. XIII, 828; Od. XXIV, 514) est h o d i e r n u s d i e s et ἤματι τῷδε (Il. XI, 444; XIX, 110; XXI, 584) i. q. σήμερον. Alia exempla plena manu dederunt Passow s. v. et Thiersch Gr. §. 284, 11, quibus adde Schæfer Melet. crit. p. 78, a quo ex aliis scriptoribus multa sunt excitata. Interdum, sed multo rarius eadem

potestate occurrunt *οὗτος*, ut Od. VII, 48; XIII, 349, 351; XX, 377, 380; XXII, 78; Il. V, 831; X, 82, 341, 477; XI, 612., v. Schaeferum l. l., et *κεῖνος*, ut Il. V. 604; Od. XIII, 111, et XVII, 593, ubi pronomini *κεῖνα*, ad remotiora relato, opponitur *ἐνθάδε* (594) et *τάδε* (601), quibus voculis ea, quae confabulantibus propiora sunt, indicantur. Hinc non negaveris *κεῖνα* ibi esse illic, *ἐνθάδε* et *τάδε* hic. Vere iudicavit Nitzschius (ad 185), Vossium secutus, causam huius usus esse eam, quod Homerica carmina non in lectorum gratiam conscripta, sed auditionis causa composita fuerint. Concordat cum his viris Payne Knight Proleg. pg. 59, cuius annotationem ad notissimum illum locum, Il. III, 54, velim integram legas. — Valde memorabilis praeterea est haec articuli collocatio. Postponitur enim vulgo nomini, ubi, aut relativa *ὅς*, *οἷος*, *ὅσος* subsequuntur, ut *τάων, αἵ* II, 119; *ἄνδρα τόν, ὅς* X, 74; *ἀνδράσιν τοῖς, οἵ* XXIV, 84; *συνθεσιάων τάων, ἅς* Il. V, 320; *θεάων τάων, αἵτ'; 332*; Il. IX, 631; Il. XIII, 594; aut quando aliud quid, quo, quod priore loco positum est, accuratius explicatur, succedit, ut *Θάμυριν τὸν Θρήϊκα* Il. II, 595; *ἀνδρῶν τῶν τότε* IX, 558; *πεδίον τὸ Τρωϊκόν* X, 11; *ἄντυγες αἱ περὶ δίφρον* XI, 535; *Νέστωρ δ' ὁ γέρων* 637; *ἄνακτες οἱ νέοι* Od. XIV, 60; *ἓξ δ' υἱεῖς οἱ Δολίοιο* XXIV, 497. Quod ad hunc locum attinet, operae pretium erit simillimum, qui XXI, 42 legitur, integrum hic describere, ut sententiarum nexus appareat:

> *Ἡ δ' ὅτε δὴ θάλαμον τὸν ἀφίκετο δῖα γυναικῶν,*
> *οὐδόν τε δρύϊνον προσεβήσατο, τόν ποτε τέκτων*
> *ξέσσεν ἐπισταμένως, κ. τ. λ.*

Quo in loco explicando Passow (s. v. ὁ, *Α*, 3, a) parum consulte sententiam *τόν ποτε τέκτων ξέσσεν* ad *θάλαμον* refert.

V. 121. *τὸ τῆς δεξιᾶς χειρὸς ἅπτεσθαι δεῖγμα φιλοφροσύνης ἦν ἀσφαλέστατον . . . . λαιᾷ μέντοι χειρί, οὐκ ἐξῆν ἅπτεσθαι ἀλλήλων τοὺς φιλομένους.* Ex quibus Eustathii verbis apparet, iam heroes, quum hospitem exciperent, benevolentiam declarandi causa, et solemnem salutandi formulam, *χαῖρε*, vel *οὖλε τε καὶ χαῖρε*, pronunciare, et dextra advenientis dextram prehendere consuesse.

V. 123. *φιλεῖν* h. l., ut saepius, est benigne, liberaliter hospitio aliquem excipere, quod alias est *δέχεσθαι* (Od. XIX, 316), *ὑποδέχεσθαι* (XIV, 54), *κομίζειν* (XIV, 316; XVI, 82), *ἀμφαγαπάζειν* (XIV, 381), aut *ἀνέχεσθαι* (XVII, 13) et proprio verbo *ξενίζειν* (XIV, 322). — *παρά* non cum Ernestio a nobis explicaverim, sed suam vim servans est apud nos. Eodem modo res se habet Il. XIII, 627 *ἐπεὶ φιλέεσθε παρ' αὐτῇ*, qui locus Passowium s. v. *φιλεῖν* in duplicem errorem induxit.

V. 124. Cum vi quadam ad verbum *μυθήσεαι*, participio aoristi *πασσάμενος* praecedente, adiecta est particula *ἔπειτα*, cuius rei haud pauca exempla reperiri ostendit Buttmannus Gr. §. 144. N. 6. Hoc tamen velim animadvertas, minus usitate hic *ἔπειτα* ante participium collocatum esse, cui, ut fert vulgaris ordo, subiiciendum erat. Plura eiusdem structurae exempla praebent Schaefer Melet. Crit. pg. 124, Herm. ad Viger. pg. 772, Thiersch Gr. §. 297, 5, qui praeterea demonstrant voculas *καί* et *εἶτα* eadem vi et eodem interdum ordine positas esse. Idem etiam, id quod a viris doctis modo laudatis omissum vidi, dicendum est de *τότε δή* Hymn. in Merc. 294, *ἐνταῦθα* Herod. I, 63; V, 62, 77 et *δεύτερα*

Her. V. 72. Eundum usum sequitur Horatius Sat. II, 6, 27: Postmodo, quod mi obsit, clare certumque locuto luctandum in turba &c.

V. 128. Satis circumspecte de voce δουροδόκη disseruit Payne Knight in Proleg. ad Hom. pg. 41, ubi recte eorum refutat sententiam, qui pro apposito quodam vel ipsa media columna excavata eam habuerint. Ipse autem nimius videtur, dum columnas circumquaque striatas et insculptas fuisse ex hoc solummodo loco demonstrare conatur, quum hoc tantum clare patet, ita factas et institutas fuisse columnas, aut potius columnam triclinium intranti proximam, vel ante id ipsum (XVII, 29, 30) stantem, ut hastae appositae ei adstare possent; in incerto omnino relinquendum, num ad hunc usum ἀπεξυσμένη (Schol.) fuerit columna, an ἐγγεγλυμμένη (Eusth.). Ex eiusdem columnae clavo suspendebant fortasse arcum (Hymn. in Ap. 8, 9).

V. 130. Minorem interpunctionem in fine versus ponendam esse docte, ut eius ferebat consuetudo, Wolfius Litter. Anal. III, 501 demonstravit, qua ex dissertatione, comparatis Glossographorum annotationibus, etiam didici inter ῥήγεα et λῖτα, quibus utrisque X, 352, ita vero ut λῖτα prioribus subiecta sint, sternuntur sedilia, hoc esse discrimen, ut superiora, a quibus τάπητες (IV, 124 et Il. IX, 200) et πέπλοι (Od. VII, 96) non diversi fuisse videntur, operosioris artis et splendidissima (καλά, πορφύρεα, σιγαλόεντα vocantur), altera nullo artificio texta nec figuris variegata fuerint.

V. 132. Sedilia (ἕδραι, ἕδη) pro variis, ut videtur, formis variis nominibus ab Homero appellantur. Sunt enim, primum θρόνοι, cathedrae ἐλευθέριαι (Athen. V, 4) et ἐπηρμέναι (Etym. magn.), qua ex causa scabellum (θρῆνυς, ὑποπόδιον, σφέλας) vulgo pedibus suberat, quod aut sellae adhaerebat eique erat coniunctum (XIX, 58), aut ab ea separatum sedenti subiiciebatur (XVII, 409; XVIII, 394). Θρόνοις feminae utebantur, unde dearum plures χρυσόθρονοι, εὔθρονοι, ποικιλόθρονοι, ἀγλαόθρονοι, ὑψίθρονοι cognominatae sunt, v. Koeppen ad Il. VIII, 436. Deinde κλισμοί, οἳ ἔχοντες ανακλισμόν (Scholion valde mutilatum ad 145), οἳ ἔχοντες ἀπέρεισιν τοῖς ὤμοις (Schol. Villoison. ad Il. I, 90); apud quos haud ita saepe scabellum est obvium, tamen confer IV, 136. Quodsi cum hoc loco eiusdem libri versum 123 comparaveris, videbis a κλισμοῖς nequaquam differre κλισίας. Maior vero atque amplior sella, qua iacendi et dormiendi causa utebantur, erat κλιντήρ (Od. XVIII, 190). Δίφροι denique, si vocis originem spectamus eamque tenemus, fortasse ab utraque parte adminiculis, quibus brachia sustentabantur, instructi erant. In quibus sedibus considebant, quum ad concionem convenissent, eas, si modo recte memini, Homerus ubique aut ἕδρας (III, 7; VIII, 16; Il. II, 99, 211), aut θώκους (Od. II, 14) nominat; has sedes lapides fuisse politos et levigatos, cuiusmodi ante fores quoque (III, 406) collocare solebant, docent Il. XVIII, 104 et Od. VIII, 6. Haud aliter etiam maiores nostri, quo se congregabant, locum instituerant, uti ex regiae sedis (Königsstuhl) reliquiis prope oppidulum Rense apparet.

V. 136. Notandum est, manuum ante cibum ablutionem apud veteres fere nusquam neglectam fuisse, tum uti, sordibus ablatis, purissimi diis libarent (Il. X, 572), tum ut defectu adiumentorum, quae nobis in usu sunt, quam mundissimi ipsis manibus cibos caperent. Idemque, quum diis supplicarent, factum esse apparet ex Od. II, 261; XII, 336; Il. VI, 266; IX, 171, 174; XVI, 230; Hes. op. 670, 684. V. Eustath. et Schol. ad h. l.

V. 137. Non possum, quin iis valde adverser, qui Pollucis auctoritatem sequentes affirmant, ἀπονίψασθαι et νίψασθαι ita differre, ut illud solummodo de pedibus, hoc vero de manibus usurpatum sit. Visne locos contrarium demonstrantes expromam? Iam mihi compara XIX, 356, 358, 376, 505; XXII, 478.

V. 138. Quod τανύειν et alias τιταίνειν loco προτιθέναι (112), παρατιθέναι (VIII, 169) et ἐπιπροϊάλλειν (Il. XI, 628) de mensis dicitur, ex eo concludit Eustathius ad h. l. et ad X, 345 eas προμήκεις, τετανυσμένας εἰς μῆκος fuisse, cui assentiri nullus dubito. Huiusmodi enim mensarum, in quibus epulabantur, formam fuisse, non solum ex propria horum verborum significatione liquet, sed etiam derivatione vocis τράπεζα, de qua Eustathium ad 111 adeas, et testimonio Glossographorum, quibus Varronem de ling. lat. V, 25 adiicere potes, ostenditur, qui omnes in eo consentiunt, ut dicant, escarias mensas prisco aevo quadratas et oblongas, minime vero, ut postea consuetudo ferebat, rotundas fuisse.

V. 140 - 142. Wolfius, praeeunte Athenaeo (V, 4), versus 141 et 142 ut huic loco alienissimos uncis inclusit; quorum patrocinium ex contrario Nitzschius, argumenta haud spernenda proferens, suscepit. Idem vero hic obelum sustulit, ut sublatum versui 140, veluti insititio, apponeret. Equidem vero putem neque hunc, neque illos versus proscribendos et expungendos, aut omnino locum sollicitandum esse. In mentem enim revocandum Telemachum cum hospite in interiore domus parte, in triclinio consedisse; quibus ancilla, quae cibariis promendis praeest, ut primum eos vidit, multa et varia fercula (140) praebuit. Quo facto intrat quoque δαιτρός, qui postquam foris ministravit procis (v. 112), etiam Telemacho hospitique carnem apponit et pocula (141 et 142). Iam igitur facile potest perspici, omnia sibi constare et ex Homerica consuetudine bene se habere, neque omnino esse, cur unus pluresve versus eiiciantur. Minus probabile etiamsi mihi Nitzschii de hoc loco iudicium videtur, tamen meus animus a viro summo nequaquam dissidet in eo, quod eosdem a Wolfio damnatos versus in libro quarto, ubi ordine sunt LVII et LVIII, expungendos esse iudicat. Namque non solum duo codices, quibus multum tribuendum, Harleianus et Vindobonensis, eos ibi prorsus omittunt, quum contra libri ad unum omnes eos nostro loco exhibent, sed sententiarum ratio etiam ita est comparata, ut de interpolatione facta vix amplius dubitare fas sit.

V. 140. εἴδατα sunt hoc loco, quaecunque una cum pane comeduntur quaeque proprio vocabulo alias, III, 480; V, 267, ὄψα, unde Latinorum obsonium, vocantur. Haec obsonia saepe quidem τὰ κρέατα ὀπταλέα erant, ἅ ῥα τῇ προτέρῃ ὑπέλειπον ἔδοντες (Od. XVI, 50), a promi procuratrice in cellam penariam (ταμεῖον, ταμιεῖον) recondita, ut intus (ἔνδον, VII, 166) h. e. in cella et praesto (παρά) esset, unde hospiti, ex improviso advenienti, promeret; alias autem (Il. XI, 620 sq.) nihil ad panem et vinum adhibent praeter caepam, quemadmodum Persae nasturtio pro obsonio vesci solitos esse scribit Xenophon Anab. I, 2, 8.

V. 151. Si huius loci conditionem diligenter perpenderis, non cum Nitzschio, qui scripturam antiquam μνηστῆρες in μνηστῆρσιν mutandam censet, faciendum esse videbis. Mirum est virum eximium non vidisse ex industria antecedenti ἔντο Subiectum insuper esse a poeta additum, quo indicaret Telemachum Minervamque seorsum a procis epulas sumsisse (132), hos vero nullam illorum curam gerentes confestim, quum famem satiassent, ad cantum et saltationem se convertisse.

V. 152. Omni ex parte comprobare nequeo, quae interpretes de voce μολπή proposuerunt. Quod nos admonet, ut ex Homero ipso, quum is optimus suimet sit interpres, veram huius vocabuli vim exponamus, quam patet optime intelligi, tum ex cognato μέλπειν, sive, quae forma Homero est frequentior, μέλπεσθαι, unde aperte substantivum originem traxit; tum ex iis locis, in quibus hac ipsa voce poeta usus est. At verbum si respicimus, hoc ubique de eo dicitur, qui vel canit, vel aliquam rem cantu praedicat. Dubius modo videri potest H. in Pan. versus 20: φοιτῶσαι (Νύμφαι) πύκα ποσσὶν ἐπὶ κρήνῃ μελανύδρῳ μέλπονται, ubi vero consentaneum est iungi φοιτῶσαι ποσσίν, pedibus frequenter circumsilientes canunt. C. Il. XVIII, 572. Quodsi de hac perpetua verbi potestate dubitari nequit, idem etiam, quamquam Etym. magn. s. v. et Eustath. ad h. l. non prorsus mecum consentiunt, idem dico de substantivo statuendum esse arbitrer, nimirum ut proprie sit cantus, plerumque ad citharam. Quam sententiam non solum Hes. Theog. 69, sed etiam sine omni controversia illi loci confirmant, ubi, veluti hic, Od. XXIII, 145 et Il. XIII, 637, nominatim a saltatione haec μολπή discernitur. Quare non est mirandum illius loco hic inde ὀρχηστυῖ opponi ἀοιδήν, ut VIII, 253; XVII, 605; XVIII, 304; Il. XIII, 731; Hymn. in Ap. 149, et cum cithara modo coniungi μολπήν, ut XXI, 430, modo ἀοιδήν, ut Il. II, 600; XIII, 631. Hinc progrediens affirmare ausim eodem sensu hoc verbum etiam ceteris in locis accipiendum esse, ut Il. XVIII, 572:

μολπῇ τ' ἰυγμῷ τε ποσὶ σκαίροντες ἕποντο.

Cum cantu laetoque clamore pedibus tripudiantes sequebantur. Il. I, 472:

οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο.

Illi vero per totam diem cantu propitium sibi deum reddere conabantur, ubi nostram interpretationem poeta ipse comprobare videtur, exponens vocabulum sequentibus participiis ἀείδοντες et μέλποντες. Addere possum IV, 19; VI, 101; Il. XVIII, 606. Haec μολπή rarius aut nunquam sola, sed cum aliis ludicris exercitationibus, praecipue cum saltatione coniuncta, aut ad numinis alicuius honorem in solemnibus sacris, aut voluptatis tantum causa vulgo post coenam edebatur. Comparari possunt Il. I, 472 cum VIII, 261; XVII, 605; XXI, 430; XXIII, 134, 145. Modulos et numeros, secundum quos saltabant, ad carminis, quod simul cantabatur, argumentum indolemque compositos citharoedus, pede suo, ut Quint. I, 12 ait, legem temporum servans, cithara, quam poeta hanc ob causam χοροίτυπον (Hymn. in Merc. 31) vocat, praeibat atque praemonstrabat. Quam quidem rem Il. XVIII, 569 sq., 604, praecipue vero Od. XXIII, 133 sq. et 143 sq. probant. Citharoedi munus inter deos Apollo sustinebat, qui, dum Musae alternantes cantabant, Gratiae vero et Horae tripudiabant, citharam pulsabat. Hymn. in Ap. 188 sqq.; in Dian. 13; Il. I, 602.; Hes. Scut. 202. Conveniebant ad saltandum aut plures homines, qui invicem e carpo manus tenentes chorum ducebant (Hymn. in Ap. 194; Il. XVIII, 590 sq.; Od. XXIV, l. l.), aut duo tantum prodibant, qui et saltando et variis gesticulationibus aliisque oblectamentis, ut pilam iactando, circumstantium multitudinem, collidendis manibus numeros indicantem, oblectabant; v. VIII, 370; VI, 18; Il. XVIII, 605. Initia igitur illius chori, quem in omnium deorum, praecipue vero sub ὑπορχήματος nomine (quod carmen non solum voce et tibiis canebatur, sed etiam saltabatur) in Apollinis honorem postea exercebant, haec in Homeri locis laudatis nemo non facile deprehendet. Vide Langii elegantissimam commentationem, Vindic. trag. Rom. pg. 27.—

ἀναθήματα, Latinorum dona sive donaria, iuxta significationem verbi ἀνατιθέναι (Hes. Op. 656; Ap. Rhod. II, 929) imprimis vocabant, quae diis, ut in veterum consuetudine positum erat, ad eos propitiandos oblata, in templis alibique aut suspensa (ἀνάπτειν III, 274), aut posita erant; quae cum maximam partem maioris pretii essent, unde etiam ἀγάλματα III, 274; VIII, 509; XII, 347 vocantur, ideo etiam ad rem, qua quis magnopere delectatur, veluti hic et XXI, 430 ad cantum et saltationem, haec vox translata est. Bene igitur Schol. Eustath. Hesych. et Etym. magn. explicant κόσμον, κόσμημα τῆς δαιτός. Cithara enim, cuius virtutes summis laudibus in Hymn. Merc. inde a versu 457 celebrantur, auget et amplificat epularum voluptates, quare earum et socia, συνηορός (Od. VIII, 99) est et amica, ἑταίρη (Od. XVII, 271; Hymn. in Merc. 31, 478; Hor. Od. III, 11, 5) quique ea perite utitur, ut ἑταῖρος (H. in Merc. 435) epulis et comissationibus adhibetur.

V. 153. Demonstrant Od. XXI, 406; Hymn. in Merc. 50; Il. IX, 186; Hes. Scut. 203 citharam, affabre saepe factam, auroque et argento distinctam, septem chordis ex ovium intestinis fuisse instructam eique verticillum (κόλλοψ), quo nervi intenderentur et remitterentur, fuisse additum.

V. 154. Phemius Terpiades (XXII, 330), quoniam necessitate coactus coram (loco παρά est XXII, 331 in eodem versu μετά) procis cantaverat, unus cum Medonte, praecone, Telemacho, ut iis parceretur, deprecante, ab Ulysse servatur (XXII, 343 sq.). Hunc Phemium Grammaticorum nugae Homeri magistrum fecerunt, qui Smyrnae iuventuti litteras musicenque tradens postea Critheidem, Homeri matrem, in matrimonium duxisset et privigno suo vita functus testamento universa reliquisset. In Ithacam igitur illum fuisse transpositum, ut pius poeta vitrico, memoriam eius ab oblivione vindicans, eruditionis simul et nutricationis gratiam referret. Ita res in Homeri vita, quae sub Herodoti nomine circumfertur, et apud Eustathium ad h. l. narratur. Impudens profecto mendacium. Constantinum Koliadam igitur vehementer miror, qui in libro Ulysse-Homère inscripto, quem ante hos tres annos Lutetiae Parisiorum edidit, his maioribusque ineptiis probabilitatis speciem dare mirifice studeat.

Sed iam hic scribendi finem faciam. Plura enim proferre angustae huius libelli limites, quibus coercemur, non sinunt. Quod reliquum est, sic existimes atque tibi, lector candide, vehementer velim persuadeas ex tuo iudicio, cui haec vel probanda vel reiicienda proposita sunt, solummodo pendere, num, quas in duos priores Odysseae libros ad hunc modum prope paratas habeo annotationes, umquam in lucem prodeant, an perpetua oblivione obrutae in scriniis iaceant. Vale. Scr. Cal. Septembr. cIↃIↃcccxxxii.